DE GRAECAE ET LATINAE MISSAE CONSENSV.

CORTESII BRANAE MAZARACAEI

Græcarum litterarum Profeſſoris in publico Gymnaſio Neapolitano.



NEAPOLI,

Apud Conſtantinum Vitalem. MDCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. DOMINO D. BENEDICTO IVSTINIANO

CARDINALI AMPLISSIMO, atq; Collegij Græcorum Patrono Vigilantiſſimo.

CORTESIVS BRANA S. P. D.


VM Sæpe multi ex Latinis, & ob ſummam in Gręcorum gentem beneuolentiam, & ob curioſam quādam ſedulitatem ad eorum templa vbi res diuina gręco ritu fieri ſolet, concurrant, vt maiore

animi propensione, ac pietate, huiusmodi sacris posthac intersint, operę pretium fore putaui, nonnulla explicare, quę in se difficultatem videntur habere aliquam, & diligenti adhibita animaduersione separatim singula notare, in quibus vtriusq; tam Gręci, quam Latini sacrificij consensus, similitudoq; non obscure apparet. Nunc sanè laborem nostrum, & Grecis nostris non ingratum, & Latinis etiam hominibus iucundum fore confidebam, adducebar etiam vt crederem vtriq; populo qui eius-

1.Cor. 10. dem mensę Domini, vt ait Apostolus, particeps efficitur, cognitionem hanc frugiferam, & salutarem futuram; Quid enim ad mutuam quandam inter nos Caritatem retinendam, communisque fidei vinculum astringendum, vtilius esse potest, quam si intelligatur Latinam, gręcamq; Ecclesiam vnum esse religionis mysticum corpus, atq; eiusdem Sancti Spiritus aura, vnum idemque Deo immortali ab vtraq; Ecclesia sacrificium offerri, & in eo offerendo nullum in cultu, atq; orationibus discrimen posse reperiri? Ex quo aperte intelligetur, quod

A olim

olim de hac celesti hostia vaticinatus est Malachias, ob ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. His adde quod arcana vtriusque sacrificij explicata sententia, consensioq;, ac similitudo declarata, laboranti Ecclesię remedia necessaria arma q; omnia validissima contra eius aduersarios, praesertim hoc tempore, cum quidam existunt, & peruersa loquuntur, vt adducant discipulos post se, pseudomagistri introducentes sectas perditionis, vt propterea vigilandum sit, si nolumus decipi, pugnandum si hostiles acies retundere, earumq; impetus repellere, & paternam Catholicę veritatis professionem ab aduersariorum iniuria tueri, fidemq; integram inuiolatamq; seruare volumus. Quamuis enim ad probandum quid in ijs, quæ de fide, ac religione exoriuntur controuersijs sequendum sit, iure debeat sufficere Sanctæ Romanæ Ecclesię auctoritas, quę quod à Sancto Petro Apo- cap. 1.

 stolo-

ftolorum Principe, Christiq; Vicario est traditum, perpetua tot Pontificum serie vno eodemq; spiritu, & sensu semper tenuit & à qua tanquam à sanctissimo totius orbis oraculo ad fidem pertinentibus, si vlla exorta esset dubitatio, responsa in hodiernum vsq; diem data sunt; quia tamen harum Sectarum auctores, sua tum demum decreta stabilire existimant, si petram suo loco moueant, eam frustra quidem, sed magno tamen conatu labefactare conati sunt, externa etiam non dubitauerunt accersere auxilia, & Gręcorum litteras, ac cæremonias pro se facere iactitare, cum tamen ab eis toto cælo dissentiant, & pro parte Orthodoxorum vna cum ceteris Christianis nationibus faciant. Non quod non satis per se possit petra supra petram, hoc est, supra Christum fundata omnium hęreticorum quantiscunque copijs, duce Christo Domino qui eam fundauit, obsistere, sed vt cum vniuerso mundo planum factum fuerit, omnes qui Christum vbiq; terrarum susceperunt rectè cum Latinis sentire, & hæretici suę vecordię morbum agnoscen-

tes, donec adhuc est medicinę locus ad optimum medicum, ideſt ad Chriſtum reuertantur, & qui primo aſpectu probabilibus, ſed non minus venenatis, quam futilibus ſi rectè ponderentur eorum argumentis adducti, aliquam eis fidem habuerunt, eos deinceps vt deploratos, & immedicabili peſte affectos fugiant, & auerſentur. Reliqui verò ὀρθοποδοῦντες, hoc accepto veluti antidoto, ſi eos vitare non poſſint (quod eſſet conſultiſſimum) de ſua certe ſalute, & cautiores, & ſecuriores euadant. Equidem ſi quæ animo propoſui meo, ea vel ingenio aſſequi, vel dicendo aliqua ex parte exprimere valuero, non dubito profecto, quin hęc qui attente, ſtudioſe, diligenterq; conſiderauerint maiore quodam pietatis ſtuſtudio tam Gręcæ, quam Latinæ miſſę celebrationi ſint interfuturi; Deoq; Optimo Maximo acturi gratias, quod Cątholicam Eccleſiam ſuam ex varijs Linguis, & natiobus collectam, tam admirabili huius Sacroſancti Myſterij concordia, cęleſtiq; cuiuſdam, & angelicæ harmonię conſpiratione deuinxerit. Atque hæ quidem cauſæ,

cogitationesq; me impulerunt, vt hanc qualemcumq; lucubrationem meam homo minime φιλότιμος in Lucem ederem. Eam verò cur sub Clarissimi nominis tui patrocinio, Pater Amplissime, apparere voluerim, superuacaneum arbitror pluribus exponere; nam vt omittam, quod te summo religionis, diuinoq; cultu incensum, huius generis munus maximè decere; nemo est qui non videat, quod certè à me proficiscitur, vt qui in Clientelam Græcorum nationem recipere dignatus es, à me quocunque modo, & munusculo possem, colaris, & obserueris. Peto igitur ab Amplitudine tua, vt has ingenij mei primitias, tenues quidem illas, minimeq; acerrimo tuo iudicio dignas sic accipias, vt ad maiora eximiæ meae erga te obseruantiae indicia praebenda magis, magisq; indies inciter, atque impellar. Vale.

FRANCISCVS VERIERIVS
E SOCIETATE IESV
Τοῖς ἐνδοξομένοις
Eruditis Viris. S.





AGNAM ab omnibus, sed à pijs, concordiæque amantibus maximam inibit gratiã Cortesius Brana hoc libello, quem de Græcæ, Latinæque Missæ consensu scripsit & inscripsit, in lucem edendo. Cuius enim tam ingratus sit animus, tamque ab honestate abhorrens et alienus; vt nihil se debere fateatur ei, qui non de vno, aut altero bene, sed plane de quãplurimis hominibus, atq. adeo de tota Ecclesia Catholica, & videtur, & est optime meritus? Enimuero cum primum in hominum manus liber hic aureolus perueniet; cum primum intelligentur ea, quæ in ipso legentur tam multis è locis eruta; tam præclaris è scriptoribus collecta; tam ad nationum nobilissimarum concordiã accomodata, tam

doctis, atque eruditis viris vtilia; tam omnibus, qui vel primis labris Græcæ, Latinæque linguæ suauitatem degustarunt, iucunda; continuo virorum examina partim conuolabunt ad hominem visendum, alloquendum, amplectendum; partim, veluti ad mellificium apes, chartam, atramentum, calamum arripient; litterasque conscribent laudum, & gratiarum actionis plenissimas; partim munera certatim mittent noui, sed ingentis amoris, atque honoris argumenta. Te felicem, Cortesi vir eloquentissime, qui vno tantummodo libro, eoque mole ac magnitudine tantulo, licet dignitate ac præstantia maximo εἰς κοινωφέλειαν proferendo; tanta gloria, quanta expectari à mortalibus potest maxima, viuus vidensque perfrueris. Irritus ac prope stultus habetur Xerxis conatus, qui pontibus ac lignis Asiam cum Europa coniungere festinauit; prudētissime feliciſſimeq; susceptus habebitur labor tuus; quo non montes aut maria Europæ, Asiæque, sed vtriusque incolæ ac Domini vinciētur. Quanquam ob aliam videris causam longe felicior appellandus, quod videlicet hoc labore exantlando eum, qui fecit vtraque vnum, imitatus, cum ex hac perbreui, ad perennem illam vitā migraueris, ipsum illum habebis pro præmio, cui te quàm simillimum esse tanto opere concupisti. Iam qui nobis tanquam diuinitus vi-

deberis


deberis demiſſus in terras, vt ea, quæ longe videbantur inter ſe diſsidentia, congruere vt quæ maxime, oſtenderes; animoſque opinione quadam imbutos, ac propterea quodammodo diſtractos ac diſiunctos & coniungeres, & conglutinares: ſuperis maximarum rerum effector diceris in cœlum aſcendere, & mille coronis, ac triumphis æternis longe digniſſimus. Hoc ſane idem, quod à me ſpe præcepta, vel couiectura, vel vtriſque, tanto ante prædictum eſt; vos ipſi acerrimi iudicij, animique candidiſſimi Lectores, cum volumen hoc euolueritis, re ipſa ſic habere, certiſſimis rationibus comprobabitis. Valete.



I N


IN LIBRVM
DOCTISSIMI
VIRI
CORTESII BRANAE
DE GRÆCÆ, ET LATINÆ
MISSAE CONSENSV.
Pompeij Vgonij Romani.

Concordes aræ ritus, quâ sanguine puræ
Offertur Christus victima grata Deo.
Quosq; vetus Latium, quos & pia Græcia seruat,
CORTESI, docto differit ore liber:
Ille patrum prima scrutatus origine sensus
Monstrat vt ambabus gentibus vna fides:
Mysticaq; ingenio sacrorum arcana reuelans,
Exponit miris illa coire modis:
Legerit hæc quisquis, geminæ mirabitur vno
Pectore doctrinæ prosilientis opes.
Nec minus ambiguo fors hanc certamine dicent
Esse suum Latium, Græcia & esse suum.



DE GRAECAE, ET LATINAE MISSAE CONSENSV.

CORTESII BRANAE.



VOD Zeno ille Stoicæ disciplinæ princeps ad Rhetoricæ, & Dialecticæ discrime declarandũ facere olim consueuerat, vt diductis digitis, & dilatata manu Rhetoricam, ijsdem vero compressis, pugnoq; facto Dialecticam demonstraret. Idem quodammodo mihi de Græco Latinoq; sacrificio dicendum occurrit, quod illud diffusum, & bene longum, hoc contractius, breuiusq; videatur. Verum quò facilius hæc intelligantur, nonnulla prius, quæ difficultatem aliquam habere videntur, diligentius, atq; accuratius sunt explicanda.

Primum igitur animaduertendum est discordiam hanc de fermentato, & azymo, quæ iam pridem inter Græcos, & Latinos interce-

dit, non habuisse ortũ statim ab ipso nascentis Ecclesiæ ortu, vt videre est apud Innocentium III. lib. 4. de myst. Missæ, cap. 4. & apud S. Thom. in 4. quæst. 2. quæstiuncola 3. imo multo deinceps tempore; nam vt dicit Sotus in 4. Sententiarũ, tam Græcorum, quam Latinorum Ecclesia in azymis sacratissimam Eucharistiã faciebat, quod hunc panem Christum Dominum cõsecrasse existimaret ea nocte, quã apud Iudæos nihil erat fermentati. Vnde Leo IX. Pont. in Epistola ad Michaelem cap. 24. ait, sanctos martyres primitiuæ Ecclesiæ nostris azymis saginatos. Sed postea imminente hæresi Hebionitarum, qui cum Nazaræis, vt est apud S. Thom. & Leonẽ Papam, quem citat S. Thom. eò eruperant, vt dicerent simul cum Euangelio seruanda esse legalia. Ad hãc peruersam hæresim abolendam, tam Græca, quã Latina Ecclesia abiecit azymos, cæpitque ad tempus fermentatos panes consecrare. Quare apud S. Io. Chrysost. & Origenem, atq; alios Græcos nullus sentitur odor huius discordiæ. At hæresi illa iam consopita, rediit Sancta Romana Ecclesia ad suũ pristinum morem in azymo consecrandi, vt, quemadmodum dicebamus Christi Saluatoris exemplum imitaretur. Græci autem suorum rituum tenacissimi, noluerunt cum Latinis ad veterem morem redire, itaque fermen-

tato

tato sunt vsi, imo etiam cœperunt aduersus Latinos longissimam habere disputationem, affirmantes Christū Dominū infermētato consecrasse. Id autem eis concessum est, vt possent conficere infermentato, cū ab alijs, tum à Sacro Cócilio Florentino Eugenio Pontifice in hæc verba: ὅτι ἐν ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ σιτίνῳ τὸ τοῦ χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς, τούς τε ἱερεῖς ἐν θατέρῳ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τελεῖν ὀφείλειν, ἕκαστον δηλονότι κατὰ τὴν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, εἴτε δυτικῆς, εἴτε ἀνατολικῆς συνήθειαν.

Item in azymo siue fermentato pane triticeo Corpus Christi vere confici, sacerdotes in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, vnumquemque ad suæ Ecclesiæ siue Occidentis, siue Orientis consuetudinem.

Deinde animaduertendum, Orientis Ecclesiam, quemadmodum sanctam Romanam Ecclesiam celebrare, super Reliquias, & sepulchra Sanctorum. Sed in hoc tantum inter se differre; quod Sancta Romana Ecclesia reliquias Martyrum condere solet in altari, vel in aliquo marmore. Græca eas insuit in linteo, quod Latini Corporale, Græci εἰλητὸν, & ἀντιμίνσιον, & θρόνον hoc est Sedem nuncupant, in quo residet ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων καὶ κύριος τῶν κυριευόντων: idest Rex Regum, & Dominus &c.

Tum sciendum ad sacrosanctam Missam Orientis Ecclesiæ hac tempestate non adhi-

beri Subdiaconum, ſine quo rem olim Diuinã peragere nefas erat, id ex eo compertum habemus, quod S. Ignatius in Epiſtola ad Antiochenos, de eo, vt etiam de alijs minoribus Ordinibus mentionem facit; ſic enim ait, *ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, πυλωρούς, ἐπορκιστάς*. In Sancta Romana Eccleſia, vt ad Epiſcopatum his honorum gradibus aſcenderetur Oſtiarij, Lectoris, Exorciſtæ, Acolyti, Subdiaconi, Presbyteri, Sanctus Caius Pontifex inſtituit. Et in Conſtitutionibus etiam Apoſtolicis can. 43. fit de ſeo mentio, legitur enim, Hypodiaconus vel Lector, vel Cantor aleis, & ebrietatibus vacans, vel ceſſet, vel ſegregetur. Item Cornelius Papa de eo mentionem facit in Epiſtola ad Fabianum; & Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 33. & in Concilio etiã Romano ſub Silueſtro cap. 3. numerantur ſeptem Ordines. Item in Authenticis, ſeu Nõuellis Conſtitutionibus Iuſtiniani Imperatoris coll. 1. tit. 2. vbi agitur de numero Clericorum Eccleſiarum Cõſtantinopolitanarum legimus, *ὁρίσαι, πόσους προσῆκον δεῖ πρεσβυτέρους καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν, πόσους τε διακόνους, πόσους τε ὑποδιακόνους, ψάλτας τε, καὶ ἀναγνώστας, καὶ πυλωρούς καθιστάναι*. hoc eſt determinare quot competẽs eſt presbyteros per vnamquamque Eccleſiam, quot diaconos, quot Hypodiaconos, Cantores, atque Lectores, & Oſtiarios con-

stitui. Idem legimus in coll.6.tit.6.cap.5. & cap.7. & in coll.1.tit.3.cap.1. In Concilio etiam Laodicense tempore Liberij Papæ, & Constantij can.20. hæc scripta reperiuntur. Non oportet Subdiaconum ingredi in secretarium quod Græci διακονεῖον, vel διακονικὸν appellant, & contingere vasa dominica. Item in Concilio Carthaginense 4.can.5. sub Siricio Papa, legitur quemadmodum fit initiandus subdiaconus, quæ omnia Concilia confirmata sunt in Synodo Constantinopolitana tẽpore Agathonis Papæ præsentibus Constantino, & Legatis Apostolicis. Hugo etiam de Sancto Victore lib.2.de Sacram.part.3.cap.5. quem citat, & sequitur Sotus dist.24.quæst.1. art.3.in 4. Subdiaconi sunt, inquit, sicuti in veteri testamento Nathinæi, qui vt habetur Esdræ lib. 1. cap. 2. erant Leuitarum ministri 220. vnde & dicti sunt Diaconorum ministri. Credi tamen potest tunc temporis quemadmodum S.Thomas ait, ex inopia ministrorum confusos hos esse ordines, vt sæpe Diaconorũ nomine intelligerentur Subdiaconi, idque intelligere voluisse Sanctus Dionysium Areopagitã in libro de Cælesti Hierarchia cũ rẽ Diuinam dicit factam ad imitationem cælestium potestatnm, atque agminum, quorum typum, ac speciem præseferunt. Alij enim primum sortiti sunt locum quos καθαρτικοὺς appellat,

quã voce Latini illi veteres nõ sunt vsi, si quis nouare audeat, Purgatorios vertat, ego potius purgãtes verterim, hos dicit esse Diaconos. Secundũ alij quos φωτιστικοὺς vocat, illuminantes Latine non plane, sed pæne idem, atq; eos dicit esse sacerdotes. Tertiũ denique alij, quos τελεστικοὺς hoc est perficientes nominat; quos dicit esse Pontifices. Diaconorum enim nomine, etiam Subdiaconum comprehendit. Vel etiam dicere possumus de tribus tantum gradibus Sanctum Dionysium mentionem facere, quia non erat illi propositum numerum Ordinum exponere, sed Hierarchiarum, quæ tres sunt in Ecclesia militante, quot in Ecclesia triumphante. Prima Pontificum, Secunda Sacerdotum, Tertia Diaconorum. Diaconi enim etiamsi ministri dicantur, & vero sint, si cum Sacerdotibus comparentur, tamen sunt etiam Principes, ac Præsules, si comparentur ad plebem, & ideo dicuntur Hierarchæ. Subdiaconi vero, cæterique inferiores Ordines, non præsunt populis, sed tantum ministrant Diaconis, & Sacerdotibus. Præesse autem alijs Diaconos docet S. Ignatius in Epistola ad Trallianos, ὑποτασσόμενοι, ait, τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ τοῖς διακόνοις, Subiecti, inquit, existentes Episcopo similiter, & Presbyteris, atque Diaconis. Sanctus quoque Hieronymus in cap. 2. ad Titum idem docet,

& San-

& Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 83. in Matth. Diacono suadens, vt Imperatorem arceat à communione si indigne accedat: Cohibe, inquit, & coerce, maiorem tu illo potestatem habes. Atque hæc etiam ratio est cur Episcopi passim sumerentur ex presbyteris, aut Diaconis Ecclesiæ, non ex inferioribus Ordinibus, vt ex Epistola Leonis 84. ad Anastasium cap. 6. Quam etiam puto esse caussam cur in Sancta Romana Ecclesia soli Episcopi, presbyteri, Diaconi sint Cardinales.

Illud præterea animaduertendum est, Sacerdotes, & Monachos Græcos hoc tempore maxime comam, & barbam colere, quod omnes Græci antiquis temporibus factitabant. Vnde Homerus, qui inter Vates omnium eruditorum testimonio principatum facile obtinet, Græcos omnes καρηκομόωντας, idest, comam nutrientes appellat. Seneca lib. 1. quæst. natural. cap. 17. ait: Tunc quoque cum antiqui illi viri incondite viuerent, satis nitidi, si squalorem opere collectum, aduerso flumine eluerent, cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere. Philostratus in Apollon. lib. 17. scribit Apollonium Tyanæum Philosophum Pythagoreum à Domitiano esse in carcere detrusum, ab eodemque missum esse tonsorem, qui comam capitis, & promissam barbam abraderet. Dio etiam Chryso-

ſtomus in Oratione 36. teſtatur conſueuiſſe Græcos nonnullos, contra Græcorum omnium, ſuorumque gentilium conſuetudinem barba raſos incedere more Romano. Nutriebant autem comam Antiqui ea de cauſa, vt videlicet liberi dignoſcerentur à ſeruis, quos radebant, vt etiam noſtris temporibus faciunt, tum vt facilius, & ſine vllo impedimento iuſſa peragerent, tum etiam vt omnibus noti eſſent tamquam homines turpiſſimi, & infames. vnde Cicero pro Roſcio Comædo ait: Non ne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, clamitare calliditatem videntur: & infra, qui idcirco capite, & ſupercilijs ſemper eſt raſus, ne vnum pilum boni viri habere dicatur. Et Lucanus, nunc tonſe Ligur, ideſt vos Ligures ſub iugum nunc miſſi. Ariſtophanes etiam in Comædia, quæ inſcribitur, Aues, ἔπειτα, ait, δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; hoc eſt, poſtea ſeruus exiſtens comam habes? Vbi Scholiaſtes, ἦν δὲ τῶν ἐλευθέρων τὸ κομᾶν, ideſt erat autem liberorum comere. Et Euſtathius, λέγονται δὲ, ait, τὸν μὲν ἄλλον πάντα χρόνον κομᾶν οἱ ἕλληνες, ἐν δὲ πένθους καιρῷ κείρεσθαι; ideſt dicuntur autem Græci omni alio tempore comere, luctus autem tempore tondi. Et in libro quarto Græcorum Epigrammatum in Epigrammate in picturam Iuſtiniani Imperatoris legimus.

Ἄλλον ἀκειρεκόμας Ἄβαρων ςρατὸς ἔκτοθεν ἴςρου
κείρας ἐκ κεφαλῆς βόςρυχον αὐς αλέης.

Κείρας ἐκ κεφαλῆς βόςρυχον, tondens à capite crines, hoc est in seruitutem redigens. Hinc apud Græcos κομᾶν, ideſt comere, pro ſuperbire accipitur, & elatum eſſe. ſic apud Ariſtophanē in Comædia, quæ inſcribitur Equites. μὴ φθονεῖτε ἡμῖν κομῶσι, Vbi Scholiaſtes, κομᾶν ἐπὶ τοῦ γαυροῦσθαι, καὶ μεγαφρονεῖν, ideſt comere, pro ſuperbire & elatum eſſe. Sapientiſſimus vero Plutarchus in vita Lyſandri intonſi capitis conſuetudinem aliunde prouenire ait. Verba ipſius ſunt hæc. ἀλλὰ καὶ τοῦτο λυκούργειον ἐστὶ καὶ φασὶν εἰπεῖν αὐτὸν, ὡς ἡ κόμη τοὺς μὲν καλοὺς εὐπρεπεστέρους ὁρᾶσθαι ποιεῖ. τοὺς δὲ αἰσχροὺς, φοβερωτέρους, hoc eſt, ſed & hoc (ſcilicet comere) ab inſtitutis Lycurgi prouenit. & ipſum dicere ſolitum aiunt, eorum, qui honeſta facie forent, accedente coma, decorem magis augeri, at iis qui deformes eſſent, ex ea plus terroris ineſſe. Sed vt ad rē præpoſitā redeā, omnes olim Græci, noſtris autem temporibus ſacerdotes, & monachi præcipue, non ſolum barbam nutriunt, iuxta præceptum traditum lib. 1. Conſtit. Apoſt. cap. 3. oportet autem neque barbæ pilum corrumpere. & illud Leuit. 21. Sacerdotes nec radēt caput, nec barbā; ſed etiā comā colunt, vt ſe non modo ceruicibus ſeruile iugum, ſed etiam animo Diabolicum

deieciſſe oſtendant.

Sciendum præterea monachos Græcos, qui ſacerdotali munere funguntur caſtitatem profiteri, quamobrẽ ijs non licet coniugiũ ſortiri, quemadmodum nec comedere carnem, ſed tantum oua, & piſces; idque ſtatutis quibuſdam temporibus permiſſum eſt. nam tempore Quadrageſimæ, vel abſtinentiæ, quam obſeruare ſolent in honorẽ Beatiſſimæ Mariæ Virginis à Kalẽdis Auguſti vſque ad decimũquintũ diem, neque oua, neque piſces comedunt, quod faciunt non ſolum Eccleſiaſtici viri, ſed etiam omnes laici. Hi autem Monachi poſſunt promoueri ad Epiſcopalem, & Patriarchalem dignitatem. At vero ſacerdotes qui non degunt vitam monaſticam in minoribus Ordinibus cõſtituti ante Subdiaconatũ vxorem ducunt vnam, & virginem, cui certis tantum diebus exceptis ad libitum admiſcentur. Comedunt etiam carnem, & oua, & piſces exceptis illis temporibus, in quibus dicebamus abſtineri, etiam laicos. Non poſſunt autem ad Epiſcopatum, vel ad aliam dignitatem aſſumi, dum vxor viuit, ea tamen defuncta, fiunt monachi, & ſic ad quamlibet dignitatem promouentur. Vt autem vxorem ducere poſſint conceſſum eſt eis in ſexta Synodo cap. 6. vbi habetur. Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copu

lari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciet. & in Concilio Nicæno, vt patet apud Sozom. lib.2.cap.14. vbi legitur. Cum Nicæna Synodus corrigere vellet hominum vitam in Ecclesijs commorantium, posuisse leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur aliquibus introduci lex, vt Episcopi presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent, surgens autẽ in medio Paphnutius Confessor contradixit, honorabiles Confessus nuptias, & castitatem esse dicens, cum propria coniuge concubitum; suasitque concilio, ne talem ponerent legem, grauem esse asserens causam, quæ in ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. & hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, synodusque laudauit sententiã eius; & nihil contra sanciuit, sed hoc in vniuscuiusq. voluntate, non in necessitate dimisit. legimus etiam apud Sanctum Paulum ad Timotheum cap.3. Diaconi sint vnius vxoris viri, & apud Socratẽ in Hist. Trip. cap.38. in Thessalia cum quidam Clericus ante Clericatum legitime vxorem duxisset, quia cum ea mixtus fuisset abdicatus est, cum in Oriente cuncti spontanea voluntate, non aliqua necessitate, etiam Episcopi seipsos abstineant, plurimi enim eorum etiam Episcopatus tempore

Alij- ex le-

ex legitima vxore filios haberent. Non me latent ea, quæ a multis doctissimis viris dicuntur circa rem hanc, & quomodo exponantur superiores auctoritates, verum hoc in loco non fuit mihi propositum, disputationem habere de hac re, sed tantum Græcorum exponere consuetudinem. Siquis tamen plura videre desiderat, legere poterit Annales Illustrissimi Cardinalis Baronij qui ἐν σοφοῖς πάνσοφος, & non amplissimi tantum Ordinis, sed huius etiam ætatis singulare lumē, ac decus est.

Sciendum denique Ecclesiæ Græcorum locum quem Sanctus Dionysius Areopagita capite 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων appellat. Sanctus vero Gregorius Nazianzenus βῆμα. Alij verò ἱερατεῖον, & alij θυσιαστήριον vocant; Cancellis circumseptum, velisque obductum; vt panis ita consecretur in altari, ac deinde reductis velis populo ostendatur, eoque neque de populo quempiam aut virum, aut mulierem ingredi. quod in Synodo Laodicensi can. 19. constitutum est, vbi legitur solis ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare. & can. 44. ibidem habetur, Non oportet mulieres ingredi ad altare. & in Synodo 6. can. 69. vbi hæc sunt verba. Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra sacrum

Alta-

Altare ingredi, Cancellorum mentionem facit Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 61. ad populum Antiochenum, ὅταν ἴδῃς, ait, ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, τότε νόμισον διαστέλλεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν, καὶ κατιέναι τοὺς ἀγγέλους, Cum vela, inquit, videris retrahi, tunc superne cælum aperiri cogita, & descendere Angelos. Item homil. 2. in 2. ad Corinthios. & homil. 3. ad Ephesios. Sanctus quidem Gregorius Nazianzenus hanc rem, vt cæteras elegantissime expressit in Epigrammate ad Episcopos.

Κιγκλίδα τὴν μεσάτην κόσμων δύο, τοῦ τε μένοντος
τοῦ τε παραπλαμένοιο, θεῶν ὅρον, ἠμερίων τε:-

Hos quoque qui mundos dirimunt, quorum effluit alter.
Alter at vsque viget, stabilique in sæcula durat Cancellos.

Causam affert cur facti sunt hi Cancelli, vt videlicet dirimerentur à Clericis laici, & ad significandam distinctionem mundi huius caduci, & perituri, & alterius certi, atque sempiterni. Eodem pacto intelligere videtur hos Cancellos Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum. Quare fallitur Langus, qui putat Sanctum Gregorium Nazianzenum de Sanctæ Sophiæ templo locutum, cum Sanctus ille de omnibus templis loquatur vniuerse.

Tom. Biblio. the. SS. Patr. 6

Balſamon Græcus Interpres ad can.44.Synod.Laod.& 69.Synod.6. Latinos arguit apud quos (& præſertim noſtris temporibus) non ſolum laici,ſed etiam mulieres ſine pudore in ſanctum Altare ingrediuntur, & ſedent præſentibus ſæpe ijs qui ſacrificant. Hos tamen Cancellos olim habuiſſe Latinos in Templis ſuis; patet ex Synodo Turonenſi ſecunda can. 3.de vita, & honeſtate Clericorum, vbi legitur, Sed pars illa, quæ à Cancellis verſus altare diuiditur Choris canentium pateat Clericorum. & ex Theodoreto in Hiſt.Trip.cap. 30.de pœnitentia Theodoſij,& Ambroſij conſtantia, vbi legimus: Cumque tempus accederet, quo munus ad Altare ſolebat offerre, ſurgens (ſcilicet Imperator) cum lacrymis eſt ingreſſus, cumque obtuliſſet, ſicut ſolitus erat,intra Cancellos ſtetit,rurſus autem Ambroſius non quieuit,ſed differentiam locorum educuit: & primo quidem interrogauit quid ibidem expectaret; Imperatore dicente,expectare ſe ſacrorum ſuſceptionem myſteriorũ, per Archidiaconum remandauit. ô Imperator, interiora loca tantum ſacerdotibus ſunt collata, quæ cæteris nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egredere igitur, & hanc expectationem cum cæteris habe communẽ, purpura namque Imperatores, non ſacerdotes facit, tum fideliſſimus Imperator etiam

hanc traditionem animo lubenti suscipiēs remandauit; non temeritatis causa intra Cancellos mansi, sed in Constantinopolitana vrbe hanc consuetudinem esse cognoui, vnde ago gratias, pro huiusmodi medicina. & paulo infra. Porro regulas pietatis, quas à magno sacerdote percepit, etiam reuersus in Constantinopolitana Vrbe seruauit, nam cum festiuitatis tempore ad Ecclesiam processisset, oblatis ad Altare muneribus mox egressus est. cumque Nectarius tum præsul Ecclesiæ rogasset cur intus stare noluisset, mandauit Princeps, Vix, inquit, potui discere quæ differentia sit Imperatoris, & Sacerdotis, vix inueni veritatis magistrum, Ambrosium namque solum noui digne vocari Pontificem. tantum itaque profuit increpatio à viro virtutibus florente profecta. Facile etiam conijcio ex eo quod in Missæ initio dicunt Latini, Introibo ad Altare Dei. Si enim abfuissent Cancelli non ita dixissent. Et ex oratione quæ habetur in exordio Missæ, Aufer à nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, vt ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Sed tandem ad rem ipsam propius accedamus.

Εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. ἀμήν.

In memoriam Domini, & Dei, & Saluatoris nostri

nostri Iesu Christi. Amen.
Ante quam sacræ liturgiæ initium faciat sacerdos, accedit ad paruulum Altare propositionis, in quo & oblatio fit, & panis benedictio. atque hæ ἀπαρχαί, & primitiæ dicuntur, ex eo deinde Altari consecrandus panis exsecatur, qui purus est, atque simplex, nulla præterea re auctus, nisi quod dedicatus est Deo, eiusque donum iam factus. Hunc panem, prius quam sacerdos ad summum Altare afferat, & sacrificet, typos, & figuras natalis, crucis, cruciatuum, & mortis deniq; Domini conatur ostēdere. Hic autem erat mos antiquus, vt gestu interdum agerent, interdum verbis exprimerent, quod etiam acutissime obseruauit Nicolaus Cabasila, qui infestissimo Latinos odio est prosecutus, in expositione Missæ, etenim propheta, cum vellet ostendere Hebræorum captiuitatem, seipsum ligauit. & Agabus postea hoc ipsum fecit, significans Sancti Pauli vincula; Quidam etiam, vt fertur ex Patribus, cum ex eo quæreretur quid esset Monachus, nihil respondit, vestem tamen qua erat indutus exuit, ac protriuit. Porro Domini mortem, & ab eo susceptæ carnis œconomiam Veteres nō solum verbis, gestuque significabant, sed etiam à Deo discebant; veluti cum mare virga scindebatur, rubus in flamma ardebat, nec comburebatur:

itaque sacerdos quæ de Christi nouit sacrificio modo verbis, modo gestu, quoad eius fieri potest in illa materia exprimit omnia, & quodammodo digitum intendens, hoc inquit modo ad cruciatus venit Christus; hoc modo mortuus; hoc in latere lancea percussus est; hoc ex illo ipso latere sanguis, & aqua effluxit; quæ ideo facit, vt ostendat huiusce rei, ac veritatis typos, ac veluti formas quasdã olim præcessisse, quæ tanto ante significarent, quæ postea euenerunt, quemadmodũ sacerdos nũc prius quam panem ad aram maximam afferat vt sacrificet, quæcunque ad sacrificium pertinent in ipso pane describit, & quodammodo adumbrat.

Consimilis oblatio fit etiam à quibusdam religiosis Latinis, antequam aggrediantur ad missam, vt à Monachis Sancti Dominici, & à Chartusianis, quamuis non in pane fermentato, aut tam multis precationibus, & cæremonijs vt Græci faciunt.

Prima hæc panis oblatio, & benedictio fit in recordationem Domini, & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, ex eiusdem præcepto, cũ dicit, hoc facite in meam commemorationem, hoc est vt Apostolus ait, mortem ipsius annunciantes, quæ nostræ salutis fuit effectrix, & quæ nos resurgere fecit, ob id dicit εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ.

Altera panis oblatio fit, cum ex eo partem minimam aufert, quæ à Græcis vocatur μερὶς, facitq; sacrũ donum, non eadẽ tamen, vel dicit, vel agit, quæ initio cũ mors Domini significabatur, quandoquidẽ quæ semel dicta sunt, de vniuerso mysterio dicta esse intelliguntur, hoc autem donum facit ad honorem Beatissimæ, & Gloriosissimæ semperq; Virginis Dei Genitricis Mariæ, vt videlicet eius precibus hoc sacrificium Dominus suscipere dignetur. Vel gratias agens Deo, quod matrem ex nobis accipere est dignatus.

Tertia oblatio fit in honorem sanctorum, hoc est offerimus Deo donum, quo ei gratias reddimus, quod habemus intercessores apud eum, qui sunt eiusdem gentis, & quod ijs qui sunt eiusdem nobiscum generis, tantam libertatem impertijt. Illud enim in gloriam, & intercessionem, idem est, quod pro gloria, & pro intercessione, quemadmodum illud in remissionem, idem est quod pro remissione. Quo loco obseruandum est, commemorationem illã ἰωάννου τοῦ χρυσοστόμου, quæ hic ponitur, fuisse additam à recentioribus Græcis.

Quarta oblatio fit in viuorum vtilitatem, vt condonentur peccata.

Quinta oblatio pro defunctis fit. poterit & alias facere pro quibus volet. Hæ autem fiunt liturgiarum loco, cum Oriẽtalis Ecclesia vni

cum

cum tantum missæ sacrificium facere consueuerit.

Sane miscet sacerdos aquam vino, & benedicit ex Apostolorum ritu, & ad subuertendũ duas hæreses Hydroparastarum, & Armeniorũ, ex quibus isti in solo vino, illi in sola aqua sacrificium peragebãt, vt habetur in 6. *synod.* Constantinop. can. 32. & in Cõcilio Carthag. 3. can. 24. & de consecr. dist. 2. in sacram. & Sanctus Aug. mentionem facit in lib. de Hæresibus cap. 64. Hanc mistionem etiam in liturgia latina fieri videmus. Hinc Sanctus Cyprianus in epistola ad Cæcilium de sacramẽto Calicis. In Calice inquit Dominico aqua vino deesse non debet, ne populus qui per aquã, vt est in Apocalypsi; significatur, à Christo separatus esse videatur, & in cap. 1. de cõsecr. dist. 2. ex Alex. 1. legitur, non debet in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrunq; permistũ, quia vtrumq; ex latere eius in passione sua legitur profluxisse. idem habetur in cap. cum omnis de cõsecr. dist. 2. Immo docet D. Cyprianus in cap. sicut, dist. 2. vinum absq; aqua non consecrari iuxta Christi traditionem, quod perinde est accipiendum, ac si diceretur non consecrari legitime, quia quod iure fieri non debet, sæpe dicitur fieri non posse, nam id possumus, quod iure possumus.

His rite peractis, vt ex instituto res succedat, accedit sacerdos ad altare summũ, quod semper Græci ad Orientem extruunt ob eam causam, quæ in Constitutionibus Apostol. cap. 61. apud Clementẽ affertur, vbi legitur. Supplicent Deo cœli tenenti, idq; ad Orientem, in memoriam veteris possessionis Paradisi ad Orientem positi, vnde primus homo contempto mandato, serpentis consilio obtemperans, expulsus fuit. quod etiam dicit Sanctus Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 27. vbi ait πάντες. μὲν ὁρῶμεν κατὰ ἀνατολὰς ἐπὶ τῶν προσευχῶν, ὀλίγοι δὲ ἴσμεν, ὅτι τὴν ἀρχαίαν ἐπιζητοῦμεν πατρίδα, τὸν παράδεισον, ὃν ἐφύτευσεν ὁ θεὸς ἐν ἐδὲμ κατ᾽ ἀνατολάς, hoc est omnes quidem respicimus ad Orientẽ in orationibus, pauci vero scimus quod antiquam inquirimus patriam Paradisum, quem plantauit Deus in Edem ad Orientem. Ibi autem stans ante sacram mensam facit initium liturgiæ.

Multi porro Sancti Liturgias Græce conscripserunt, quæ pro temporũ varietate recitantur. primum Sanctus Iacobus Apostolus frater Domini, & Hierosolymorum primus Episcopus. Sanctus deinde Apostolus & Euangelista Marcus Sancti Petri discipulu[s] sed horum liturgiæ in vsu non sunt in Ecclesij[s] Græcorum. Tum Sanctus Ioannes Chrysosto[-] mus fecit liturgiam, quæ toto anno recitatu[r]

Tum

Tum Sanctus Basilius, cuius liturgia recitatur in eiusdem Sancti die Festo, in peruigilijs Natiuitatis, Resurrectionis, & Epiphaniæ Christi Domini, & in omnibus diebus Dominicis Quadragesimæ. Alia denique incerti Auctoris, hæc autem Liturgia vocatur προηγιασμένη idest præsanctificatorum munerũ, in qua nõ consecratur Panis, sed in præcedenti die Dominico consecratus assumitur à Sacerdote. quæ liturgia recitatur feria quarta, & feria sexta per totam Quadragesimam, vt habetur 6. synod. habita in Trullo can. 52. vbi legitur. In omnibus Quadragesimæ Ieiunij diebus, præter quam Sabbato, & Dominica, & Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum mysterium. & causam esse puto, quia dies ieiuniorum, luctus, & compunctionis est dies, in expiatione peccatorum; & quia Deo sacrificium offerre, est diem festum agere, statuerunt patres non fieri nouam consecrationem in tota Quadragesima, exceptis diebus Sabbato, Dominico, & festo Annuntiationis; in his enim festum agere, non lugere iussi sumus. Hæc autem liturgia quæ προηγιασμένη dicitur, fere eadem est, atq; cum ea, quam in sancta Ecclesia Romana nouimus celebrari feria sexta maioris Hebdomadæ.

VOcantur autem hæ liturgiæ eorum quos diximus sanctorũ patrũ, nõ quod de inte-

gro illi fecerint, ſed ſolum eam quæ ſuo tempore erat in vſu, ad meliorem formam redegerint, vel detrahendo ſi quid irrepſerat minus conueniens, vel addendo aliquid pro temporum varietate, vel deniq; ad tædium vitandũ aliquid inde detrahendo, ita tamen, vt quæ ad eſſentiam pertinerẽt partes Liturgiæ ab Apoſtolis inſtitutæ, integræ permanerẽt, vt hi ſancti Patres fuerint non auctores Liturgiarum, ſed quaſi quidam reformatores, & exornatores. ſic Sãctus Gregorius Magnus conſtituit, vt in miſſa *κύριε ἐλέησον* nouies repeteretur, & alleluia ſuo tempore diceretur, atq; vt in Canone adderetur dieſq; noſtros in tua pace diſponas, ſic Sanctus Leo primus addidit ſanctũ myſterium, immaculatam Hoſtiam, & ſiqui alij alia addendo exornarunt, & ad eam qua nunc eſt formam perduxerunt. Ex Liturgijs autem horum ſanctorum Patrum acceperunt non ſolum Latini, vt videbimus, verum etiam Æthiopes alijq;, vt videre licet in Bibliotheca ſanctorum Patrum Tomo 6. ſiquis eas cognoſcere velit.

ΕΥ'λογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν:

Benedictum regnum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.

Pri-

PRimum hoc quasi colloquium cum Deo, quatuor illa continet laudationem, confessionem, gratiarũ actionem, precationẽ deniq;. Principem obtinet locum laudatio, cuius rei ratio illa reddi potest, quod grati serui est non suas, sed Domini res prædicare, quod facile assequimur laudatione, quæ necessaria tũc est, cum ad eum qui vere Dominus dicitur, mentem atq; animum intendimus, cui omnis laus, omnisq; gloria iure debetur, præsertim cum sit huic adiuncta grati animi significatio, cum qui laudat memorem se beneficiorũ acceptorũ non obscure declarat, quæ animi grati significatio, quantam vim habeat ad impetrandum, dici vix potest, cum ipsa quodãmodo efficiat, vt id quod petimus facile impetremus. Sequitur deinceps peccatorum confessio ad veniam impetrãdam, nam si qui sunt qui iudici non dubitant, quæ peccarunt in vita cõfiteri, quod sperant se non ita graui mulcta irrogata, postea liberatos, vitam posse viuere ab omni culpæ labe alienam, quanto nos magis diuinæ confidere benignitati oportet; à quo tanquam ab amantissimo parẽte, non veniam modo, sed illud etiam impetremus, vt in posterum omni scelere, ac culpa carere possimus, digniq; iudicemur, in quos diuina quotidie beneficia conferantur. Tertia est gratiarum actio cũ verbis apertè declaramus, quan-

ta in nos diuinæ liberalitatis fuerint argumẽta, quorum in animis nostris fore memoriam pollicemur sempiternam.

Vltima erit precatio, cum videlicet ita nos apud patrem purgauimus, ita comparauimus, vt tantum non affirmare audeamus; quæcunq; petituri sumus à diuina nos benignitate esse impetraturos omnia; nam si alias ita sumus eius bonitatem, & erga nos beneuolentiam experti, vt quamuis peccatorum sordibus inquinatos, tamen placidissimo nos vultu aspexerit, benignissimeq; in suam amicitiam, ac familiaritatem exceperit; qualem futurum speramus cum ab omni culpæ labecula vacuos, cum contra virtutibus quasi gẽmis instructos, ac collucentes intuebitur? Hinc igitur illa: Εὐλογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

QVia per Christi Domini incarnationem primũ didicerũt homines tres esse personas, cuius hic insunt mysteria, propterea statim initio eorum oportet aliquam prælucere veluti facem trinitatis. Latini quoque initio rei diuinæ sanctissimæ, atq; indiuiduæ Trinitatis mentionem faciunt, seq; signo Crucis signant, cum dicunt, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Optimo autem iure tum Græci, tum Latini ab inuocatione sanctissimæ Trinitatis initium rei diuinę faciunt, hic

enim

enim ordo, tum in sermonibus, tum in negocijs omnibus præstantissimus est, vt Dei mentio inchoet, eademq; tanquam signum claudat omnia. Nam si gentilium sapientes, ne dicam hac in re insipientes, Dæmones eos, quos colebant, ac venerabantur pro Dijs, ita laudabant, vt dicerent:

A Ioue principium nobis, hinc optimus orsus.
Multo sanè magis nos veri Dei cultores, tum à Deo incipere, tum in Deo desinere oportet, ipse enim, vt in Apocalypsi 1. legimus, est, Α, & Ω, principium, & finis, qui & nobis ortum dedit, & ad quem ex Sancti Dionysij sententia omnia se conuertunt, quem denique omnia vt principium, & conseruatorem, ac finem appetunt. Docuit id quoq; Demosthenes eloquẽtissimus Orator in Epistola prima, παντὸς ἀρχομένου σπουδαίου λόγου, καὶ ἔργου ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν ἄρχεσθαι. Conuenire existimo, vt quisquis vel sermonem, vel opus aliquod serium auspicatur, à Dijs immortalibus initium faciat. M. Tullius 2. de legibus à Dijs immortalibus sunt nobis agẽdi capienda primordia. Ouidius 10. Metamor.

Ab Ioue musa parẽs, cedũt Iouis omnia regno,
Carmine nostra moue ——

Sapientissimus Plato in Timæo ait τοῦτό γε δὴ πάντες, ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ, καὶ μικροῦ, καὶ μεγάλου πράγματος, θεὸν

ἀεὶ

ἀεὶ που καλοῦσιν. ideſt omnes qui quoquo modo mentis ſunt compotes in operis cuiuslibet vel magni, vel parui principio Deum ſemper quodammodo inuocant. Sophoclis vero reperitur dictum alicubi citatum à Plutarcho.

ἔργου δὲ παντὸς ἤν τις ἄρχηται καλῶς
καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ἔσθ' οὕτως ἔχειν.

Hoc eſt, opus autem quodlibet ſi quis aggrediatur bene, & finem par eſt ita ſe habere. Idē videtur docere Pindarus poeta celeberrimus, ſuboſcure tamen, Ἀρχομένου παντὸς ἔργου, πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγὲς, initium cuiuſque operis faciem oportet ponere Illuſtrem, at quæ tandem reperiri poteſt illuſtrior, quam ſuauiſſimum, atque ſanctiſſimum nomen Indiuiduæ καὶ ζωαρχικωτάτης Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν θανάτῳ θάνατον πατήσας,
καὶ τοῖς ἐν τοῖς μνήμασι ζωὴν χαρισάμενος.

Chriſtus reſurrexit à mortuis, morte mortem conculcans, & ijs qui in monumentis erant vitam donans.

POſt ſanctiſſimæ Trinitatis inuocationem, à Dominica Reſurrectionis tantū, vſq; ad Aſcenſionem Domini in ſua liturgia hunc modulum concinunt Græci: quo laudes Reſurrectionis Saluatoris noſtri breuiſſime continentur. idque facere videntur ad quorundam Hæreticorum audaciam retundendam, qui

quod

quod de Cruce, ac morte Domini; deque ipsius Anastasi non recte sentirent Christum Dominum δοκέιν, & ad speciem, non vere à mortuis surrexisse iactabãt, vt videre est apud apud Sanctum Ignatium in Epistola 9. ad Philadelphienses, & in Epistola quinta ad Trallianos, obliti videlicet illorum verborum quæ leguntur in Euangelio. Soluite templum hoc & ego in tribus diebus resuscitabo illud. Ad hanc igitur hæresim confutandam Orientalis Ecclesia instituit, vt hic hymnus alta; canoraque voce in sacris hoc tempore caneretur. Quin Græci dum per hosce dies inter se salutant, non vt alias fit bonum ac faustum precantur diem, sed tantum qui prior salutat, ait, χριστὸς ἀνέστη, idest Dominus surrexit, qui resalutat ἀληθῶς ἀνέστη ὁ κύριος, vere surrexit Dominus, quo nimirum salutandi more ostendunt, Christum Dominum vere surrexisse, neque illorum sententiæ subscribere, qui dum sacrã Domini Anastasim negant, simul etiam omnium Defunctorum resurrectionem negare coguntur, si quidem vt Sanctus Thomas docet, Christi Domini Resurrectio causa fuit exemplaris reparationis nostræ, de quibus illud dici non insulse potest, cum Anastasim negent, eos non homines, verum sepulchra esse mortuorum in quibus inscripta tantum sint nomina, A Latinis quoque in re di-

Io. 2.

uina per eos dies aliquid canitur de laudibus Resurrectionis Domini, nam per totam octauam legitur sequentia, quam vocant victimæ Paschali, &c.

Ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

In pace Dominum deprecemur.

DEinceps recitat Diaconus precationes quasdã quas εἰρηνικὰ Græci vocant, quod Deum nobis beneuolum reddant, atque pacatum, quarum initio hortatur populum ad precandum, simulque precandi modum indicat, cum dicit, in pace Dominum deprecemur, sine qua nihil impetrare poterimus, & qui cum omnium bonorũ cumulum accepturi sumus. Hinc apud Isaiam Prophetam cap. 26. Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, εἰρήνην δὸς ἡμῖν, πάντα γὰρ ἀπέδωκας ἡμῖν, idest Dominus Deus noster, pacem da nobis, omnia enim dedisti nobis. Hortatur autẽ populum ad precandum vt diximus, quoniam licet ipse sequester sit Deì, & hominum, vt S. Thom. docet, atq; ob eorum qui ipsi subiecti sunt salutem, sacrificium offerat Deo, tamen quia preces, quæ à coniuncta multitudine funduntur, maiorem vim habere solent, ideo adstantem hortatur populum ad precandum. Præclare id, elegantissimeq; declarauit Sanctus Io. Chrysostomus in sermone 5. in Matth ybi ait, ἔχουσι μὲν γὰρ δύναμιν αἱ εὐχαὶ μεγίστην, ἀλλ' ὅταν καὶ ἡμεῖς μεταγοῶμεν, καὶ γινόμεθα βελτίους, καὶ μ...

ῥαθυ.

ῥᾳθυμῶμεν, μηδὲ ἀναπίπτωμεν αὐτοὶ, καὶ καθεύδωμεν. hoc est, habet enim vim maximam sanctorum preces, verũ quãdo etiam nos pænitentiã agimus, & meliores euadimus, neque desides sumus, atq; dormientes. & S. Ignatius in Epistola 11. ad Ephesios, εἰ γὰρ ἑνὸς, καὶ δευτέρου προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, ὥστε τὸν χριστὸν ἐν αὐτοῖς ἑστάναι, πόσῳ μᾶλλον, ἥτε τοῦ ἐπισκόπου, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας προσευχὴ σύμφωνος ἀνιοῦσα πρὸς θεὸν, πείσει παραχεθῆναι αὐτοῖς πάντα τὰ ἐν χριστῷ αἰτήματα. Si enim vnius, atq; alterius precatio tantarũ virium est, vt Christũ inter illos statuat, quãto plus Episcopi, & totius Ecclesiæ oratio cõsona, seu vnanimis ascendens ad Deum exorabit, vt omnia quæ petierint in Christo dentur ipsi. & S. Io. Chrysost. in sermone 2. in 2. Epistolam ad Corinthios ait, δεῖ μετὰ τῆς εὐχῆς, καὶ τὰ παρ᾽ ἑαυτῶν εἰσφέρειν. & nobilissimus etiam Hippocrates dicebat, δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα; ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. hoc est non satis esse ad morbos sanãdos, si medicus rectè, ac diligẽter munus suum obeat, nisi & ab ægroto ipso, & ab eis, qui ei ad sidẽt cõmuni opera, ac diligentia medici conatus adiuuẽtur. Deinde proponit id quod primo loco expetere debemus. ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης, καὶ τῆς εἰρήνης τοῦ σύμπαντος κόσμου. Hoc S. Cyrillus Hierosol. Catechesi 5. Mystag. tradidit, vbi ait, post quã confectũ est illud spiritua-

rituale ſacrificiũ, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propoſitionis Hoſtia obſecramus Deũ pro communi Eccleſiarum pace. Dominus etiam præcepit populo Iſraelitico, cũ Captiuus Babylone detineretur, ſic enim eſt apud Hieremiam cap. 29. & quærite pacem ciuitatis, ad quã trãſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius, erit pax vobis. Ad hanc formam per prophetam diuinitus cõſtitutam populus fidelium in hoc exilio tanquam Babylone captiuus ad patriam ſupernam adſpirans, precatur etiam pro huius vitæ pace, ne impediatur pax ſpiritualis, & æterna; vt remotis per diuinam pietatem hoſtium inſectationibus, ſeditionibus, inimicitijs, quietam, & tranquillam vitam in omni pietate agat Eccleſia. Atq; olim hoc ipſum factitaſſe ſacerdotes docet Philo Iudæus in opuſculo περὶ πρεσβείας πρὸς Γάϊον, vbi ſic legimus; εἰς τὰ ἅγια ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ μέγας ἱερεὺς εἰσέρχεται τῇ νηστείᾳ λεγομένῃ μόνον ἐπιθυμιάσων, καὶ κατὰ τὰ πάτρια εὐξόμενος φορὰν ἀγαθῶν, εὐετηρίαν τε καὶ εἰρήνην ἅπασιν ἀνθρώποις. In ſancta ſemel in anno magnus ſacerdos ingreditur ieiunij quod dicitur tempore tantũ ſacrificaturus, & de more precaturus bonorum copiam, fauſtumq; annum, & pacem omnibus hominibus. Supplicare etiam iubet pro Eccleſia, Eccleſiæq; gubernatoribus, idq; vt fiat monet etiam S. Io. Chryſoſtomus

ſtomus Homil.79. ad populum Antiochenum, Altari aſſiſtens ſacerdos, inquit, pro Eccleſia, & gubernatoribus, offerre debet. & in ſermone 2. in 2. Epiſtolam ad Corinthios ait προσιόντες (loquitur de ſacerdotibus) πρότερον ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης, καὶ τῶν κοινῶν ἀγαθῶν εὐχαριστοῦμεν, hoc eſt accedentes prius pro orbe terrarum, & pro publicis bonis gratias agimus. Monet etiam vt ſupplicemus Deo pro Regibus, Imperatoribus, militibus, vt Sanctus quoque Paulus 1.ad Timoth.cap.2.ait: Obſecro igitur primũ omnium fieri obſecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Tertullianus in libro ad ſcapulã ſacrificamus, inquit, pro ſalute Imperatoris. Sanctus Cyrillus loco ſupra citato, obſecramus pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſocijs. Sanctus Polycarpus martyr in Epiſtola prima ad Philipp. precemini pro Regibus, pro potentibus, pro Principibus. Docet etiam conueniens eſſe ſupplicare pro nauigantibus, viatoribus, ægrotis, pro omnibus deniq. qui aliqua temporum calamitate oppreſſi tenentur, quod vt fiat aperte præcipit etiam Sanctus Cyrillus loco ſupra citato: Vbi Deũ inquit, obſecramus pro ægrotis, & afflictis, & tandem pro omnibus qui egent auxilio. & San

ctus

ctus Ioannes Chryſoſtomus Homilia 72. in Matthæum, & homilia 79. in Ioannem, cum ait: διὰ τοῦτο, καὶ ἐν τοῖς μυστηρίοις ἀσπαζόμεθα ἀλλήλους, ἵνα οἱ πολλοὶ γενώμεθα ἕν, καὶ ἐπὶ τῶν ἀμυήτων κοινὰς ποιούμεθα τὰς εὐχάς, λιτανεύοντες ὑπὲρ νοσούντων καὶ τῶν καρπῶν τῆς οἰκουμένης, καὶ γῆς, καὶ θαλάττης. hoc eſt, ob id & in myſterijs complectimur inuicē, vt multi vnum efficiamur, & in ſacris communes facimus preces, orantes pro ægrotātibus, & fructibus orbis, & terræ, & maris. Idem docet in ſermone ſecundo, in ſecūdam Epiſtolam ad Corinthios: Neque id temere, aut ſine vlla ratione, nam vt Sanctus Gregorius Magnus ait homil. 37. in Euangelia, & Beda lib. Hiſtor. Angliæ cap. 22. diuerſis temporibus idem miraculum cōtigit, vt cum ſacrificium Miſſæ offerretur pro homine captiuo in alia regione; ignorante quid pro ſe fieret, eius vincula diuinitus ſoluerentur ipſa hora ſacrificij. Poſtremo nos admonet neceſſe eſſe Deum precari, vt nos liberet ab omnibus imminentibus periculis. Pro his omnibus ſupplicatur etiam in Cōſtitutionibus Apoſtolicis, & in ſacris Sancti Iacobi; & Sancti Marci, & in Liturgia Sancti Baſilij Magni, & in miſſa Aethiopum, vt videre eſt in 6. Tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Pro his ſupplicat Sancta Romana Eccleſia in quotidiano ſacro, & potiſſimum in Canone vbi precationes ſunt pro afflictis, pro

Summo Pontifice; & pro Episcopis, alijsque omnibus orthodoxis, atq; Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. præcipue vero in sacro feriæ sextæ Maioris Hebdomadæ, vt perspicuum erit legentibus.

Τῆς παναγίας ἀχράντου ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης.

Sanctissimæ, immaculatæ, benedictæ, gloriosæ Dominæ &c.

OMnia sane offerenda sunt Deo, sed quoniam id cũ facimus, maxima indigemus attentione, ideo priusquam id agamus, nunc Beatissimam Virginem, nunc totum sanctorũ cœtum in auxiliũ conuocamus, ac tum deniq; nos nostraq; omnia Deo offerimus. Hoc significari putat Nicolaus Cabasila ὁ μισολατῖνος in expositione Liturgiæ illo verbo μνημονεῦσαι, ideſt in auxilium conuocare. Hoc ipsum quod fiat etiam in Missa Latina nulli dubium esse potest, audias enim sæpissime, & intercedente Beata, & Gloriosa Dei Genitrice Maria, & omnibus sanctis.

EΥ'λόγει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον, Ideſt Benedic anima mea Dominum &c. Vel Α'γαθὸν τὸ ἐξομολογεῖσθαι τῷ κυρίῳ.
Bonum est confiteri Domino, &c.

ABsolutis precationibus quas sæpe repetunt in celebratione missæ, aggreditur Chorus alternatim ad Psalmodias, de quibus etiam fit mentio in 92. distinct. Cantantes §. ab officio, & cap. in sancta in fine. Hoc idem fieri in missa Latina obseruaui, nam in introitu recitat Sacerdos psalmum cuius initium, Iudica me Deus, & discerne causam meam. Cumq; accedit ad altare crebro recitat quosdam versiculos ex psalmis desumptos ad euitandam longitudinem. Non ab re autem tam in Latino, quam in Græco sacro canūtur psalmi, nam vt ait S. Dionys. Areop. in lib. de Cælesti Hier. Psalmorum sancta modulatio (secundum interpretis versionem) quæ omnibus fere sacerdotalibus mysterijs iungitur; & substantiæ rationi cohæret, summo omnium principaliq; mysterio deesse nō debuit, omnes etenim sacræ scripturæ textus, rerum substantiā, & distinctionem à Deo conditam prædicant, aut legale sacerdotium, viuendiq; modum denunciant, aut sortes Dei populo distributas, ac possessiones narrant, aut iudicum sanctorū, aut sapientum regum, aut piorum sacerdotū sensum, aut prudentiam celebrant; aut veterum hominum inter varios, & multiplices tristium casus mirabilem constantiam, mirabilemq; philosophiam eloquuntur, siue agendæ vitæ sapientissima monita, siue diuinorū amo-

rum dulcia cantica, & diuinas effigies proponunt; siue futurorum plenas doctrina salutari prædictiones enunciant; aliaq; multa efficiũt, quæ apud ipsummet Sanctũ Dionysium legere quisq; poterit. Sanctus quoq; Io. Chrysost. dicebat αἱρετώτερον σβεσθῆναι τὸν ἥλιον, ἢ τὰ ῥήματα τοῦ Δαβὶδ παῦσαι ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ. hoc est magis eligendũ est, vt obscuretur Sol, quã vt deficiant verba Dauid ab Ecclesia Dei.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὗ τὸ κράτος ἀνείκαστον.. Domine Deus noster, cuius potẽtia imaginationem omnem exuperat, &c.

DVm Chorus alternis psalmum decãtat, quẽ supra diximus, & populus attente persistit in precando, etiam ipse Pontifex, ne sit ociosus submissa voce supplicat tum pro populo adstante, tum pro loco sancto in quo sacris operatur. Hoc idem faciunt Latini in sua liturgia verum συντομώτατα. Dicunt enim ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Postea continuat Sacerdos τὰ εἰρηνικὰ & precationes, quibus respondet κύριε ἐλέησον, χριστὲ ἐλέησον, quæ Latini nouies recitant in sua liturgia, hoc quoq; ritu à Græcis accepto, & si sãctus Gregorius Magnus lib. 7. Epistolarum 63. cum accusaretur, quod hæc à Græcis accepisset, vt alia permulta, negat, seq; renouare ait veterem Ecclesiæ

consuetudinem. Id autem recte fit ab vtrisq; nam vt dicebamus, nequicquam adhiberentur preces, nisi seipse vrgeret, atq; adiuuaret populus adstans.

AΊνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον, αἰνέσω κύριον ἐν τῇ ζωῇ μου.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, &c. Vel

Ὁ κύριος ἐβασίλευσεν εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο.

Dominus regnauit decorē indutus est, &c.

ALium hic psalmum recitant, illum videlicet, Lauda anima mea Dominum, vel Dominus regnauit &c. qui psalmus recitatur in diebus ferialibus. Hoc idem etiam à Latinis fieri videmus, neque enim vnus aut alter psalmus, sæpissime etiam tres recitantur, vnus initio missæ, alter ad introitum missæ catechumenorum, licet non perfecte, vnus fine gloria Patri, quemadmodum etiam hic in liturgia fit Græca, cum in fine psalmi dicatur, δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι; idest Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Hymnus hic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sācto, vt refert Vualfridus in lib. de obseruationibus Ecclesiasticis cap. 25. à Concilio Nicæno est factus, qui vt videre est apud Theodoretum lib. 2. Histor. cap. 24. & Sozomenum lib. 3. cap. 19. à Catholicis canebatur, vt distinguerētur ab Arianis,

nis, cum Catholici dicerent Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Ariani vero Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto. In Historia tamen Ecclesiastica lib. 18. cap. 51. legimus quod hic hymnus fuit inuentus à Flauiano adiuuante S. Io. Chrysostomo.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, σῶσον τὸν λαόν σου.
Dñe Deus noster salua populum tuũ, &c.

DVm Chorus alternatim canit hymnum, Pôtifex submissa voce precatur, cui precationi respondet precatio, quæ recitatur in Latino sacro vitandæ longitudinis causa; Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos Dominus ad vitam æternam. Postea repetit τὰ εἰρηνικὰ, nam assiduitate precandi propitium nobis facimus Deum.

Ὁ Μονογενὴς υἱὸς, καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ,
Vnigenitus Filius, & Verbum Dei, &c.

HVnc modulum, qui nunc canitur à Choro, ait S. Germanus Patriarcha Constãtinopolitanus in rerum Ecclesiasticarũ Theoriaf, vt habetur tomo 6. Bibliothecæ Sanctorũ Patrum, esse opus Ioseph & Nicodemi, qui eũ canebant cum venerandum, ac viuificũ Corpus Christi Domini è Cruce tollerent, vt sepelirent; idemque affirmat nonnullis videri

ipſum à Rege Iuſtiniano enunciatum. Sed ego dicerem compoſitum fuiſſe à Sanctis Patribus ad repellēdos errores καὶ τὰ ἄθεα δόγματα quorundam hæreticorum, primum Arij, & eorum qui ipſius αἱρέσεως hæredes fuerunt, qui dicebant, vt videre eſt apud Sanctum Auguſtinum lib. 1. cōtra Maximinum, & in ſermone Arianorum, Chriſtum Dominum miniſtrum eſſe, & brachium Dei, & ὁμοιούσιον non eiuſdē Dei Filium, & ὁμοούσιον; Item nudum hominem, & vt Græci loquuntur ψιλὸν ἄνθρωπον. Contra quos facit S. Martialis in prima Epiſtola ad Burdegalenſes cap. 20. & S. Ignatius in Epiſtolis ad Philippenſes, & ad Antiochenos. Alterum errorem eorum qui dicebant Beatiſſimam Virginem eſſe χριστοτόκον non θεοτόκον, ideſt Chriſtiparam, non Deiparam, inter quos fuit Conſtantinus Caballinus idoneus Antichriſti miniſter. Tertiū eorum qui ſacram Domini ἀνάστασιν, hoc eſt reſurrectionē negabant, Dicitur enim hoc modulo Chriſtus eſſe verus Deus, vereque paſſus, & pro ſalute humani generis mortuus, mortē cōculcaſſe, vnuſq; eſſe ἰσότιμος, ideſt æqualis Gloriæ Patri, & Spiritui ſancto.

Huic hymno reſpondet in Latino ſacro, quæ ad Beatiſſimam Virginem dirigitur precatio. Poſt ipſum ſtatim recitat ſacerdos τὰ εἰρηνικὰ, ſed συντόμως, de quibus ſupra verba fecimus, his autem, ne ocioſus ſit populus hortatur eū

Pon-

Pontifex, vt pro iisdem rebus precetur, pro quibus etiam ipse precatur:-

O Τὰς κοινὰς ταύτας, καὶ συμφώνους ἡμῖν χαρισάμενος προσευχάς.

Qui communes has, & concordes nobis largitus es supplicationes &c.

POstquam Pontifex hortatus est populum ad precationem, etiam ipse submissa voce, ac μυστικῶς Deum precatur, vt omnium preces exaudiat eo more precantiũ, quo nos ipse in sacro eloquio edocuit, vt cum duo, vel tres in eius nomine congregati aliquid petierint facile impetrent. Huic precationi consonum est id, quod dicitur in Latino sacro, Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Iterat deinde eadem εἰρηνικά, iterandæ enim sunt preces, quoniam crebritate precandi placatur Deus, fitq; petitionibus nostris propitius, de his precationibus mentionem facit S. Io. Chrysost. in sermone 2. in secundã Epist. ad Corinthios.

M Ακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum &c.

QVemadmodum in Latino sacro, antequam recitentur Epistola, & Euangeliũ præcedit aliqua precatio ad sanctum directa

cuius festus dies celebratur. Itidem in Græco recitantur hymni, seu τροπάρια, cũ octo beatitudinibus, in quibus ponuntur actiones illustres; & præclara facinora eiusdem sancti, vel laudes Resurrectionis Domini, si fuerit dies Dominicus. At veterem Ecclesiæ sanctæ fuisse morem eiusmodi cantica spiritualia scribendi, aperte constat Eusebio lib. 2. Hist. cap. 17. ex Philone. S. Dionysio Areop. cap. 3. de Diuinis nominibus. Tertulliano in Apologetico cap. 39. & S. Paulo ad Ephesios, & ad Colossenses cap. 3. & Socrate in Histor. Tripartita lib. 10. cap. 8. vbi legimus. Cum hæc in Aegypto fierent Io. Chrysostomus Constantinopolitanus doctrina florebat, & apud cũctos fauorabilis habebatur; auxitq; primus in nocturnis hymnis orationes ob huiusmodi causam, Ariani extra Ciuitatem collectas agebant, Sabbato autẽ, atq; Dominica intra portas & porticus cõgregati, hymnos & antiphonas ex Ariano dogmate compositas decantabant, & hoc maxima noctis parte facientes, diluculo cum ipsis antiphonis per mediam ciuitatem egressi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant, cumq; hoc crebro quasi ad vituperationem orthodoxorum facere non cessarent, frequenter enim etiam hoc cantabant, vbi sunt qui dicunt tria virtute vnum? Tum Ioã nes metuens ne simplices huiusmodi can-

tibus

tibus traherentur, instituit suum populum, vt & ipsi nocturnis occuparentur hymnis, vt & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Constat etiam auctore Sancto Basilio Magno in Epistola ad Neocæsarenses vbi ait, καὶ νῦν μὲν διχῇ διανεμηθέντες ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις, ὁμοῦ μὲν τὴν μελέτην τῶν λογίων ἐντεῦθεν κρατύνοντες, ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν προσοχὴν, καὶ τὸ ἀμετεώριστον τῶν καρδιῶν ἑαυτοῖς διακονούμενοι. Ἔπειτα πάλιν ἐπιτρέψαντες ἑνὶ κατάρχειν τοῦ μέλους, οἱ λοιποὶ ὑπηχοῦσιν: hoc est, & nunc bifariam dispositi concinunt inter se simul, hinc oraculorum meditationem confirmantes, simul attentionem cordiumq; stabilitatem sibi ministrantes, deinde iterum alicui committentes aggredi modulationem, reliqui succinunt. Item S. Theodoreto, qui fuit ἡγούμενος τῶν στουδίων, in quibusdam versibus Iambicis.

Εἰς κανονάρχην

Ἀρχηγὸς ἑστὼς τῆς λύρας τῶν ᾀσμάτων,
Ψάλτῃ ἐκφάνηθι τῇ μελουργίᾳ ξένῃ,
Σάλπιζε καιρῷ τὸ ξόλον καθὼς δέοι,
Κίνει δέ σου τὴν γλῶτταν, ὡς πλῆκτρον φέρων
Ἀεὶ, πρεπόντως τὸν στίχον συνεισάγων,
Ἀσύγχυτον, κάληχον, ἐργάνου δίκην:
Τὸ τῆς ἀδελφότητος ἀρυθμῶν στόμα,
Τάσσοις ἅπαντα πᾶσιν ἀξιοχρέως,
Μὴ πρὸς χάριν, μὴ μῆνιν, ἢ λύπης δόσιν,

Ἀλλ'

Ἀλλ' ἐν δικαίῳ τῷ λόγῳ, καὶ τῷ τρόπῳ
Οὕτω φρονῶν γοῦν ἐκ θεοῦ λήψῃ γέρας.

Vbi illud etiam obſeruandum eſt, quod recitabantur hæc τροπάρια, & hymni non ſolum ob dictam cauſam, ſed etiam ad populi conſolationem, & ad æmulationem excitandam, quod attingit etiam S Auguſtinus lib.8.de Ciuitate Dei cap.27.vbi cum rationem redderet cur ad memorias ſanctorum dicantur ſacra, ſcriptum ita reliquit, Vt ea celebritate, & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atq; palmarum eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. His hymnis, ac modulis vtuntur Græci pro inſtrumentis muſicis, quæ ad Latinorum ſacra cæpta ſunt adhiberi Vitaliano Pontifice, vt ex Pontificali refert Platina.

Quod ad nomen attinet, dicitur τροπάριον quaſi τροπαιάριον, ſunt enim tanquam trophæa, & vexilla rerum à ſanctis præclare geſtarum contra Dæmonis inſidias. Vel à τρόπος modus, τροπάριον modulus, ac perbreuis hymnus, quo mores ſanctiſſimi, actioneſq; illuſtres ſancti cuius feſtus dies agitur in Eccleſia Dei cõtinẽtur. vel vt docet Io. Zonara in expoſitionibus τῶν ἀναστασίμων κανόνων Damaſceni, τροπάριον, dicitur, ὅτι πρὸς τὸν εἱρμὸν τέτραπται καὶ νένευκε, καὶ τὸν εἱρμὸν ἔχει οἱονεὶ παραδειγματικὸν, καὶ τεχνικὸν

αἴτιον

αἴτιον, ideſt modulus dicitur, quod ad εἱρμὸν conuerſus eſt, atq; vergit, ipſumq; εἱρμὸν habet quaſi exemplum atq; finalem cauſam.

Σοφία ὀρθή.
Sapientia recta.

HIs modulis ſiue hymnis cum octo beatitudinibus recitatis, Sacerdos ſumpto Euangeliorum libro ab altari, quod τὰ ἅγια τῶν ἁγίων Sancta Sanctorum à Grecis appellatur, ſe confert, atq; in medio ſtans templo, perbreuem precationẽ recitat, eaq; abſoluta librum ſublimè tollit, aitq; σοφία ὀρθή, hoc eſt ſapientia recta; hac autem cæremonia, Dominum commõſtratum ſignificat, cum cæpit multis apparere, per Euangelium enim Chriſtus ſignificatur, quemadmodum etiam, prophetici libri dicuntur prophetæ, vt videre eſt in hiſtoria illa de diuite Epulone, & Lazaro in ſacro eloquio, dictum eſt enim à patre Abraam illi diuiti Epuloni, cum apud inferos vario cruciatuum genere torqueretur, atq; ipſum rogaret, vt mitteret Lazarum ad fratres ſuos, qui nunciaret eis genus illud tormentorum, ne & ipſi tandem ad idem peruenirent, habent, reſpondit Moyſem, & prophetas, libros videlicet prophetarum & Moyſis. Luc. 16

Poſt illa verba σοφία ὀρθή, populus Chorúſq; hoc ipſum confirmat, exclamatq; διότι προσκυνήσω.

νήσωμεν, καὶ προσπέσωμεν Χριστῷ; σῶσον ἡμᾶς υἱὲ θεοῦ ὁ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, id est venite adoremus, & accidamus Christo, salua nos Fili Dei, qui surrexisti ex mortuis, si fuerit dies Dominicus, vel Resurrectionis Domini. Vel ὁ ἐν ἁγίοις θαυμαστός, id est qui inter sanctos admirabilis es, si fuerit celebritas alicuius sancti, ψάλλοντάς σοι ἀλληλούϊα; Deinde recitat Chorus precationẽ, quæ dirigitur ad sanctum, cuius dies festus celebratur, quæ itidem recitatur in Latinorum Ecclesia.

Ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.

DEumq Trinitatem concinit, qualem nos docuit Iesus Christus Saluator cum apparuit, vocatur hic hymnus trisagion, quia ter Sãctus dicitur, quem vt digne canere possint, precibus omnibus petit Sacerdos à summo omnium opifice, ac moderatore Deo. in hoc hymno ostenditur Clarissime Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate, atq; inter tres illas diuinas personas esse distinctionẽ personarũ; contra Serdetum, Hermogenem, Praxeam, Sabellium, quorum meminit S. Augustinus lib. 1. de hæresibus cap. 41. & contra Paulum Samosatenum, & Photinum teste Hilario libro

de Sy-

de Synodis, nam ἅγιος ὁ θεός, qui proprietates seu vt Græci loquuntur, τὰς ὑποστατικὰς ἰδιότητας, separant, patri atribuunt, vt principio totius Deitatis, quã deinde duabus alijs personis, vel generando, vel spirando communicat. At vero ἅγιος ἰσχυρός adscribunt proprietati filij, ex illo fecit potẽtiam in brachio suo, idest in Christo Domino, qui Deus cum sit, etiam robur patris dici potest, & ex illo Isaiæ, θαυμαστὸς σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρός, idest admirabilis consiliarius, Deus fortis. Ἅγιος vero ἀθάνατος proprietati Spiritus sancti. Quæ voces simul omnes couueniunt vnicuiq; personæ, vt vnaquæq;. Quo loco recte afferri potest, quod à S. Gregorio Naz. præclare, & elegantissime, vt cætera omnia dictum est in libro 1. de Theologia διαιρεῖται (loquitur de Sanctissima Trinitate) ἀδιαιρέτως, καὶ συνάπτεται διῃρημένως, hoc est diuiditur indiuiduo modo, & coniũgitur diuiduo, & alibi, οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι, nequeo hæc tria diuidere, & ad vnum attrahor.

Vel etiam possumus dicere, vt legimus in Histor. Ecclesiastica lib. 18. cap. 51. quod Sanctissimam Trinitatem dixerunt ἅγιος ὁ θεός, vt opponerent nomẽ id Idolis, quæ abominationis omnis plena, & humane manus opera sunt. ἅγιος vero ἰσχυρός, propter simulacrorum imbecillitatem, atq; infirmitatem summam; quæ

loco

loco se mouere prorsus non possunt ἄγιος vero ἀθάνατος, vt statuarum truncos traducerent, qui vita carentes neq; spirare possunt, neque sensu, aut mente diriguntur.

Porro hic hymnus τρισάγιον decantatus à supernis illis mẽtibus est, vt in sacris litteris legimus de quatuor Angelis qui Canebãt Sanctus, & à sacris vatibus, vt apud psalmogra-
Psal. 41. phum Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, ita enim legitur in Codice Græco, & sic habet editio vulgata, quæ nuper prodijt excusa in Typographia Vaticana. Et alibi Ver-
Psal. 32. bo Domini cœli firmati sunt, & spiritus oris
Psal. 35. eius omnis virtus eorum: & alibi In lumine tuo videbimus lumen.

Ex eo autem quod hic hymnus canitur post commõstratum Euangelium, cognoscitur per Christum Dominum in terris apparẽtem Angelos cum hominibus coniunctos esse. Quare
Ad Coloss. 1. S. Paulus de Christo Εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐπὶ τοῖς οὐρανοῖς hoc est pacificãs per sanguinem Crucis ipsius, per ipsum, siue quæ super terram, siue quæ super cœlos. & D. Io. Damascenus in libro qui inscribitur παρακλητικὴ ἦχος .δ. ait, λίθος ἀχειρότμητος ἐξ ἀλαχεύτου σοῦ παρθένε ἀκρογωνιαῖος ἐτμήθη χριστὸς συνάψας τὰς διεστώσας φύσεις: idest lapis manibus minime incisus ex te ò Virgo purissima, angularis secatus est Chri-

Christus coniungens differētes naturas. Et alibi ἦχ. δ. καὶ τὸ πλανηθὲν ὀρειάλωτον εὑρὼν πρόβατον τοῖς ὤμοις ἀναλαβὼν τῷ πατρὶ προσαγάγῃ, καὶ τῷ ἰδίῳ θελήματι ταῖς οὐρανίαις συνάψῃ δυνάμεσι. Hunc hymnum canunt more Græcorum etiam Latini in sacris quę fiunt feria sexta maioris hebdomadæ, in improperijs, dum fit adoratio Crucis.

Dū canitur hic hymnus à Choro, si Pontifex sacrum faciat, ipse populo bene precatur μετὰ τοῦ τρικηρίου, qua cęremonia significatur in diuinis, æqualis gloria, coæterna Maiestas. quare S. Io. Damascenus in opusculo quod inscribitur παρακλητικὴ, dicit esse Trinitatem τρίφωτον ἀρχὴν, καὶ μονάδα τρισήλιον. & alibi, ἡ τριλαμπεῖ μοναρχεῖ τὸ θεῖον. & alibi, ἦχος βαρὺς, φῶς ὁ πατὴρ, φῶς ὁ υἱὸς καὶ λόγος, φῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἓν φῶς τὰ τρία, εἷς γὰρ θεὸς, ἐν τρισὶ προσώποις, μία δὲ φύσει καὶ ἀρχὴ ἄτμητος, ἀσύγχυτος πέλων προαιώνιος, hoc est lumen est Pater, lumē Filius & Verbum, lumen Spiritus sanctus, sed vnum lumen hæc tria lumina, vnus etenim est Deus, in tribus personis; vnum autem natura est principium indiuisibile, inconfusum, existens ante sæcula. Et alibi, τρισοφαῆ θεότητα, ἑνιαίαν ἐκλάμπουσαν &c. Quare & in fine hymni, qui appellatur τρισάγιον, dicitur ἐλέησον ἡμᾶς, idest miserere nobis, quamuis enim sint tres personæ, & hypostases, est tamen vna Deitas. Quamobrem Sanctus

Athana-

Athanaſius ὁ πολύαθλος, atque Fidei orthodoxę πρόμαχος ἄμαχος in ſuo Symbolo, quod ego vidi græcè conſcriptum in Bibliotheca recolendæ memoriæ Gulielmi Sirleti domini mei, viri omnium virtutum genere ornatiſſimi, omniq; literarum ſupellectile inſtructiſſimi, tres illas perſonas, ait, eſſe non tres dominos, neq; tres omnipotentes, neque tres Deos, ſed vnum dominum, vnum omnipotentem, vnum Deum. Porro quidam nefarij hæretici, inter quos fuit Seuerus Acephalus, ſeu potius hydra multiceps, & Petrus quidam Fullo, quem ſeptima Synodus damnauit, impiè dicebant olim ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, qui cruci affixus es, miſerere nobis: quod poſtea correctum eſt à Sancto Ioanne Archiepiſcopo Alexandriæ, cognometo Eleemon, eo modo quo noſtris temporibus canitur demptis verbis illis, qui cruci affixus es, quod videre licet in Menologio Græco, in vita eiuſdem Sancti Ioannis, cuius dies feſtus celebratur pridiè Idus Nouembris, vbi legitur, πρῶτος τὴν ἐν τρισαγίῳ ὕμνῳ προσθήκην κωλύσας προστιθέντων γνώμῃ κακούργῳ τινῶν τὸ, ἅγιος ἀθάνατος ὁ σταυρωθεὶς δι᾽ ἡμᾶς, hoc eſt primus in triſagio hymno acceſſionem hanc prohibens, cum quidam praua mente addidiſſent, ſanctus immortalis qui cruci affixus es pro nobis. Legimus tamen in Hiſtor. Eccleſiaſtica lib. 18. cap. 51. quòd puer quidam

quidam in aerem raptus, ter sancti istius carminis diuinam vocem, & doctrinam, aperte sine adiectione indicauit, & hymnum eum Chalcedonensis Synodus recepit, simpliciterque ita canendum tradidit.

De Epistola.

RECitatur Epistola, vel aliquod ex Prophetis ante Euangelium, vt etiam fieri solet in Romana Ecclesia, ea opinor de causa, quod Actuum Apostolorum, & Epistolarum lectio finem proponit nobis propositionum, & dictorum Christi Domini, ex quibus elucet vis, & immutabilitas, & τὸ ἀδιάπτωτον veritatis; dixit enim ipse Christus Dominus, Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Videre autem licet, quemadmodum vniuersum orbem terrarum ex errorum tenebris eruerint, quoue pacto ipsorum dogmata disseminata sint longe, lateque per omnes terras. Recitari autem Epistolas in Synaxi, vel lectiones sacrorum vatum, mos est vetustissimus, vt ex omnibus Sanctorum Patrum liturgijs apparet. Docet etiam Sanctus Dionysius Areop. in lib. de cælesti Hierarch. cap. 3. quando ait, Ministrorum officio Sanctorum, scripturarum lectio recitatur, & Tertullianus in Apologetico cap. 39. habetur Can. 9. Apostolorum, & Can. quicunque, de consecr. dist. 1. Sanctus quoq; Clemens

Matt. 4 et Marc. 17.

lib. 2. Constit. Apost. cap. 57. in medio, inquit lector ex loco edito legat libros Moysis. S. Iustin. Apologia 2. Dionysius item Corinthius ad Soterum Papam, quæ legitur apud Euseb. lib. 4. Histor.

Quo in loco illud παρέργως obseruandum erit, quòd quemadmodum nostris temporibus Romæ in Sacello Pontificio recitantur Epistola, & Euangelium græcè, quo ego munere multos annos sum perfunctus, ita etiam olim in Ecclesia Orientali Constantinopoli consuetudo fuit recitandi Euangelium, & Epistolam latinè, vt videre est in tertia Epistola Nicolai Pontificis Romani ad Michaelem Imperatorem, vbi habentur hæc verba, Ecce quotidie, imò verò in precipuis festiuitatibus inter Græcam linguam veluti quiddam preciosum, hanc quam Barbaram, & Scythicam linguam appellatis miscentes, quasi minus decori vestro facitis, si hanc etiam non bene, ac ex toto intellectu in vestris obsequijs, ac officijs non vtamini. Et paulo post, Quiescite iam vtpote tantæ detestationis dictionem in vestro palatio memorare, & adhuc si pleniter illam execramini, etiam ab Ecclesijs vestris remouere satagite, istius enim dictione linguæ Constantinopolitana Ecclesia lectionem Apostolicam, & Euangelicam in stationibus fertur primitus recitare.

Ἀλληλούϊα.
Alleluia.

GRæcorum Ecclesia antiquissimo more consueuit aliqua inter Epistolam, & Euangelium interponere, qui deinde mos omnibus placuit, & vbique receptus est, ac probatus, vt scribit Vualfridus cap. 22. idq; iure optimo, ne ociose transigatur tempus illud, quod necessario interponendum est inter Epistolam, & Euangelium, dum se Diaconus ad illud canendum comparat. Canit autem Ecclesia Orientalis semper Alleluia, quod tamen in Ecclesia Latina non pronunciatur omni tempore, idq; obseruat Sanctus Augustinus Epistola cxix. ad Ianuarium, vbi de Pentecostes diebus agens, inquit, Vt autem Alleluia per illos solos dies quinquaginta in ecclesijs cantetur, non vsquequaque obseruatur, nam & in alijs diebus variè cantatur alibi, atque alibi. De hoc autem hymno Alleluia Sanctus Dionysius Areop. in lib. de Cælesti Hier. verba faciens, laudem Dei, ait, significare alleluia, vel, laudate Deum. Canitur hic hymnus in Latino sacro, ex instituto Damasi Pont. Max. auctore S. Hieronymo, vt videre est lib. 7. Epistolarum 63. ad Ioannem Syracusanum Episcopum. Dum verò Chorus canit hunc hymnum, si adsit Diaconus, sumit thuribulum,

cum thuris nauicula, petitque à Sacerdote, vel a Pontifice, vt sibi bene precetur, e Latinorum more, qui dum hoc agit, recitat eandem fere precationem ei, quæ in liturgia Latina pronunciatur. Nam quod dum offertur, thymiama quoque sit offerendum, habemus in Canone 4. Apost. item apud S. Dionys. Areop. in lib. de Cælesti Hierarch. cap. 3. vbi describit hunc ritum, item Exod. 25. 30. Quamobrem autem adhibeatur in sacrificio eiusmodi suffitus, & thuris odor, causa illa est, vt videlicet significetur bonus odor Euangelij, & eorum qui Euangelium sunt promulgaturi, tum ob similitudinem, quam thus habet precationis, quare dicitur in Psalmo 141. Dirigatur, Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. & Apocalypsi 9. thus oblatum Deo, interpretatur Sanctus Ioannes, orationes Sanctorum; tum ad gloriam Dei significandam; Denique ad tetrum odorem, si quis ex hominum multitudine existat, propulsandum.

Σοφία, ὀρθοὶ ἀκούσωμεν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου.
Sapientia. recti audiamus sanctum Euangelium &c.

Post Epistolam, recitatur Euangeliũ, quem ritum esse antiquissimum constat ex liturgijs Græcis S. Marci Euang. S. Basilij Magni, S. Io. Chrysostomi, ex Actis Apost. ex Concilio Laod.

Labd. cap. 16. ex Concilio Carthag. 6. can. 84. ex Valentino can. 2. ex S. Io. Chrysost. homil. 6. de pœnitentia, & homil. 3. in posteriorem ad Thessalonicenses, ex S. Augustino in præfatione in Epistolam Ioannis, ex S. Hieronymo in Epistola ad Sabinianum Diaconum: denique ex Epistola Decretali Anastasij Pontif. Max. Σοφία ὀρθοὶ, si scribatur ὀρθὴ cum η, sententia erit, hæc est recta, & pura, & pacifica sapientia, vt S. Iacobus ait; non obliqua, non litigiosa, non sophistica sapientia; vt est philosophorum sapientia, hæc enim deprimendo extollit; in cœlumque effert homines, ac diuina quadam vi abreptos, diuinos efficit; philosophia inflat, inquit Sanctus Paulus. Si verò scribatur ὀρθοὶ cum οι, sententia erit duplex. Prima hæc est sapientia; nam philosophorum sapientia est potius μωρία, ὀρθοὶ ἀκούσωμεν, idest recti audiamus, mentemque extollamus à rebus caducis, ac terrenis, audiamusq; mente pura, ac recte, ὀρθοὶ ἀκούσωμεν, idest stantes non sedentes, vel, vt ait Anastasius Pont. Max. ob reuerentiam Domini loquentis, vel vt docet Clemens lib. 2. constit. cap. 57. quod Apostoli præceperunt, vt omnes tum κληρικοὶ, tum λαϊκοὶ assurgerent cùm sacrum legitur Euangelium. In fine Euangelij librum affert Pontifici qui, vt faciunt etiam Latini, deosculatur. Illud hoc in loco prætereundum non est quod in Hist. Tripart.

ſcribit Sozom. lib. 9. cap. 39. quod apud Alexandrinos, hoc præter communem morem Græcorum eſt, quod cum legitur Euangelium, non ſurgit Epiſcopus, in alijs locis Diaconi, in multis alijs Eccleſijs Sacerdotes ſoli legunt Euangelium: Conſtantinopoli verò primo die Reſurrectionis ipſe Pontifex recitat Euangelium.

Εἴπωμεν πάντες ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς.
Dicamus omnes ex tota anima &c.

HOc loco recitat Sacerdos, vel Diaconus ſi adſit, precationes pro Regibus, pro Principibus Chriſtianis, pro Epiſcopo loci, pro preſente populo, quod faciunt Latini in Canone. De his verò precationibus plura ſuperius diximus, nunc ad alia pergamus.

Εὔξασθε οἱ κατηχούμενοι τῷ κυρίῳ.
Rogate catechumini Dominum.
Οἱ πιστοὶ ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων δεηθῶμεν.
Fideles pro catechumenis deprecemur.

HOrtatur Diaconus populum ad ſupplicandum pro Catechumenis, vt eorum miſereatur Dominus, ipſiſque lucem veritatis oſtendat, ac tandem ipſos Catholicæ, Apoſtolicæq; adiungat Eccleſiæ, quod faciendum eſſe in ſacra liturgia docet Sanctus Jo. Chryſoſtomus in ſermone 2. in Epiſtolam 2. ad Corinthios,

thios, vbi etiam exponit quid à Deo petimus pro eis. Interea Sacerdos, seu Pontifex, qui rem sacram peragit, submissa voce pro ijsdem deprecatur dicēs, κύριε ὁ θεὸς ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν, .i. Domine Deus noster, qui in altis habitas &c. idem facit Ecclesia Romana potissimum feria sexta maioris Hebdomadæ; nec dissimilem precationem pro ijsdem fundit, illā nimirum, Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuā noua semper prole fœcundas, auge fidem, & intellectum catechumenis nostris, vt renati fonte baptismatis, adoptionis tuæ filijs aggregentur.

Sane hoc fit pro Catechumenis, & similibus in Ecclesia Dei, vt si non cognoscunt claritatem veritatis, quomodocunq; saltem ab ignorantię nocte resurgant, & aperiantur oculi eorum ad intelligenda diuina, & pietatis plena mysteria. hoc in Synodo Laod. cap. 19 μετὰ τὰς τῶν ἐπισκόπων ὁμιλίας, ἰδίᾳ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι constitutum fuit, idest, post Episcoporum homilias, catechumenorum separatim precationes fieri. A principio porro Missæ vsque ad preces ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, vocatur Missa Catechumenorum, vt videre est in Concilio Carthag. canone 84. vbi dicitur Episcopus nullum prohibet vsque ad Missam Catechumenorum, neque Hæreticum, neque Gentilem, neque Iudæum Ecclesiam ingredi,

gredi, & audire verbum Dei, & in Concilio Ilerdensi can. 4. vbi prohibetur incestuosus permanere in Ecclesia, nisi vsque ad Missam Catechumenorum. Et apud Sanctum August. sermone 237. Ecce inquit post sermonem fit Missa Catechumenorum, manebunt fideles, quod hoc in loco dicitur, ὅσοι πιστοὶ ἔτι καὶ ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. licet enim Cathecumenis psalmodijs, & diuinarum literarum lectioni interesse, vsque ad eas de quibus dictum est, precationes, quibus peractis mox eijciebātur alta Diaconi voce. ex S. Io. Chrisost. homil. 79. tomi 5. & homil. 24. in cap. 3. Ioannis, & homilia 2. in 2. ad Corinthios, vbi verba faciens de Catechumenis ait, ἔξω τῶν βασιλικῶν ἑστήκασιν αὐλῶν, πόρρω τῶν ἱερῶν περιβόλων, διὰ τοῦτο, καὶ ἀπελαύνονται τῶν φρικτῶν εὐχῶν ἐκείνων γινομένων, διὰ τοῦτο καὶ σὲ παρακαλεῖ δεῖσθαι ὑπὲρ αὐτῶν, ἵνα μέλη γένονται σά, ἵνα μὴ ἔτι ὦσι ξένοι, καὶ ἠλλοτριωμένοι, τὸ γὰρ δεηθῶμεν οὐ τοῖς ἱερεῦσι λέγεται μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς εἰς τὸν λαὸν συντελοῦσιν. hoc est, extra atria stant regalia procul à sacris cancellis, & ideo etiam expelluntur à tremendis illis precibus, quæ fieri solent, ob id & te hortatur Diaconus, vt ores pro illis, vt tua fiant membra, & non amplius sint hospites, & alienati. nam quod dicitur oremus, non tantum Sacerdotibus, verùm & his qui populum constituunt. Item ex Concilio Arausicano cap. 18. & 20. ex S. August. lib. Con-

fessionum

fessionum cap. 3. ex Constitut. Apost. cap. 8. ex Concilio Carthag. 4. can. 84. patet etiam ex Sancto Dionys. Areop. in lib. de Cælesti Hier. vbi cùm ageret de Catechumenis, sacrosancta (inquit) sacerdotalis institutio psalmodiam quidem piam, & diuinam scripturarum lectionem audire permittit, ad ea verò, quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione geruntur contuenda, non hos plane, sed perfectos, & tantæ rei dignorum admittit obtutus, est enim diuinus sacer ordo sanctæ iustitiæ plenus, vt vnicuique pro mentis dignitate salubriter dimidat congruam singulis diuinarum rerum participationem, iuxta illorum modum, & rationem suo tempore sacratius largiens, nam vt lux illis solum operari potest, quæ lucis capacia sunt, ita & sacrarum rerum disciplina, rudes, atque informes animos in cunabulis tenero alimento sermonum Dei curat, fouet, ac nutrit. Vbi verò illorum substantiam ad id perfectionis adduxerit, vt ad diuinam regenerationem idonei sint, tum demum suo ordine salubriter illis consortium, ad ea quæ sunt lucis, ac perfectionis indulget. Idem docet Isidorus lib. 6. Etymologiarum cap. 19. traditionum, Missa inquit tempore sacrificij est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita, si quis Catechumenus remansit, exeat foras, & inde Missa, quia sacramentis altaris

interesse non possunt, qui nondum regenerati nascuntur. Ex quibus omnibus locis patet id quod dicit S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus in libello, qui inscribitur Theoria rerum Ecclesiasticarum, facere id Diaconum, vt Catechumeni conentur accedere, & participes esse sacrorum mysteriorum, & ob id putat legendum esse ὅσοι κατηχούμενοι προσέλθετε, ὅσοι κατηχούμενοι προσέλθετε, non facere ad rem, nam præter id quod clarum est expelli Catechumenos ab Ecclesia, vt ostendimus supra; & videre licet etiam in Constitutionibus Apost. vbi legitur, προέλθετε οἱ κατηχούμενοι ἐν εἰρήνῃ, & in liturgijs etiam aliorum Sanctorum, de quibus etiam supra diximus; sic legunt etiam Æthiopes in suis sacris, vt videre licet in Bibliotheca Sanctorum Patrum, vbi dicunt, Exite foras qui non vultis accipere sacramenta, siue Eucharistiam, ite Catechumeni.

Nomen autem istud κατηχούμενος, idest, Catechumenus, deducitur à verbo κατηχεῖν, qui enim iam adulta ætate ad sacrum Baptisma accedere volebant, instruebantur prius, ea instructio κατήχησις dicebatur, id fiebat dum intererant rei diuinæ, vt eius fidei, ac religionis ad quam aditus eis per Baptismum aperiebatur, præceptis instituti, atque informati, in Ecclesiam rectius introducerentur. Socratem vide lib. 7. Hist. Ecclesiasticæ cap. 17. de Paulo

Episcopo,

Episcopo; ad quem Iudæus Baptismum expetens accessit, ὁ δὲ, inquit, ἀποδέχεται μὲν τὴν προαίρεσιν, οὐ πρότερον δὲ ἔφη δώσειν τὸ βάπτισμα, εἰ μὴ κατηχηθείη τὸν περὶ πίστεως λόγον, μετὰ τῷ νηστείαις σχολάσαι ἡμέρας πολλάς, ὁ οὖν ἰουδαῖος παρὰ γνώμην νηστεύειν ἀναγκαζόμενος σπουδαιότερον ἐνέκειτο βαπτισθῆναι παρακαλῶν, ideſt laudauit quidem ille eius conſilium, verum Baptiſma ille ſe daturũ negauit, niſi prius doctrina Fidei inſtructus eſſet, ac complures dies ieiunijs vacaſſet, itaq; Iudæus præter animi ſententiam ieiunio ſe macerare coactus, diligentius vrgebat, vt luſtrali aqua tingeretur. Nicephorus de alio Iudæo paralytico, quem Baptiſmi cupiditate captum, & inceoſum fuiſſe narrat, Hoc vbi inquit Attico Epiſcopo renunciatum eſt, rebus ſacris more noſtro eum inſtituit, & ſpem bonam in Chriſtum habere per Euangelium rite docuit. Iſidorus etiam declarat hoc nomen Catechumenorum lib. 2. de origine Eccleſiaſticorum officiorum cap. 20. traditque Catechumenos eos dictos, qui primum de Gentilitate veniebant, ducti voluntate credendi in Chriſtum, quos audientes appellatos à Latinis ſcribit. Vnde Rabanus Maur. lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 26. ait, Catechumenus autem dicitur pro eo qui adhuc doctrinam Fidei audit, nec dum tamen Baptiſmum accepit, nam κατηχούμενος græcè, Auditor latinè dicitur.

·1332 Sane

Sane à Tertulliano in lib. de pœnitentia, & à Cypriano lib. 3. Epistola 16. & 22. Catechumeni audientes vocantur à Beda nouæ vitæ auditores in lib. 2. commentariorum Esdræ, quamuis non proprie κατηχεῖν græcè audire significet, sed id quod in initio dicebamus in expositione huius nominis κατηχούμενος.

Εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε ὁ θεός: idest gratias agimus tibi Domine Deus.

Πάλιν καὶ πολλάκις, iterum & sæpius.

Οὐδεὶς ἄξιος τῶν συνδεδεμένων ταῖς σαρκικαῖς ἐπιθυμίαις. Nemo dignus est eorum qui alligati sunt carnalibus desiderijs.

Missa in quatuor partes diuidi solet, prima pars est ab initio vsque ad Offertorium, quæ Catechumenorũ appellatur: secunda, ab Offertorio vsque ad Consecrationem, quæ ἀναφορὰ à Latinis nonnullis Canon minor appellatur. Tertia, à consecratione vsque ad Communionem, quæ dicitur Canon maior, à Græcis verò quantum obseruare potui μετάληψις. Quarta, à Communione vsque ad finem, & vocatur εὐχαριστία, idest, gratiarum actio. Ab his precationibus ducitur secunda pars Missæ, quæ vocatur ἀναφορὰ, quod facile erit intelligere e verbis, quæ paulo post proferet Sacerdos, πρόσχωμεν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐν εἰρήνῃ προσφέρειν. Continent autem preces hæ, id quod

reci-

recitatur in Latina liturgia illis perbreuibus, Aufer à nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, vt ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Et in illa, Te igitur clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus vt accipias. Et in illa, In spiritu humilitatis, & animo contrito suscipiamur Domine à te, & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus. Item in illa, Hanc oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine placatus accipias. Dicitur enim in fine vltimæ precationis ἀξίωσον προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἀναξίου δούλου σου τὰ δῶρα ταῦτα. σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων, καὶ ὁ προσφερόμενος, καὶ προσδεχόμενος, καὶ διαδιδόμενος Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν. quod etiã refert S. Hieron. ad Lesbiam tom. 4. de consecr. dist. 2 cap. nec Moyses, ille enim videlicet Christus est conuiua, & conuiuium, comedens, & qui comeditur. Interponuntur autem inter has preces, breuissime quædam postulationes, seu vt Græci appellant αἰτήσεις, quæ idem prorsus continent, vt videre licet.

Plenæ autem sunt omnes liturgiæ Sanctorum Patrum repetitionibus, quæ ad affectum excitandum diriguntur, vt etiam apud Psalmographum, Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui. Et apud San-

ctum Lucam cap. 18. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat istud verbum absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Apud S. Paulum etiam 2. ad Corinthios 11. Hebræi sunt, & ego, semen Abrahę sunt, & ego. Item ad Rom. 12. Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium.

Οἱ τὰ χερουβὶμ μυστικῶς εἰκονίζοντες.

Qui Cherubim mystice repræsentamus.

Sacerdos qui prgsto est Pontifici sacrum facienti, & Diaconus modestè, & reuerētèr dona tollunt in caput, è paruulo altari, quod τῆς προθέσεως appellatur, & egrediuntur, feruntque ad sacrum altare, vbi expectans Pontifex illa maxima cum reuerentia excipit, & collocat in summo altari. De industria autem circumferunt in templo dicentes, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, propter populum quiete, & pedetentim, significantes mysterium illud cum Ioseph, & Nicodemus de Cruce tulerunt corpus Iesu, vt sepelirent. Chorus interea canit troparium, οἱ τὰ χερουβὶμ, quo hortatur vt omnem solicitudinem, & curam rerum caducarum deponant, attentoque animo hoc agant, quod qui diuinæ luci se adiungere, vnumq; effici cupiunt, numquam profecto in rerum inanium cupiditates incurrūt. ob id etiam S. Io. Chrys. in serm. 25. in Matt. ait, οὐδὲν οὕτως ἑαυτὸν ἀγνοεῖν ποιεῖ, ὡς τὸ τοῖς βιωτικοῖς

προσηλῶσθαι, οὐδὲν δὲ οὕτω πάλιν τοῖς βιωτικοῖς προσηλῶσθαι πράγμασι παρασκευάζει, ὡς τὸ ἀγνοεῖν ἑαυτόν· ἀλλήλων γὰρ ταῦτα ἐξήρτηται, hoc est, nihil ita efficit, vt teipsum ne cognoscas, vt si humanis rebus adhærescas, nihil vt humanis rebus adhærescas, quam si teipsum ignores, sunt enim hæc inter se connexa. Hoc idem pulcherrima quadam similitudine exponit in oratione, 7. in Matth. vbi ait, ὥσπερ γὰρ καὶ οἱ τοῦ σώματος ὀφθαλμοὶ, ὅταν μὲν ἐν καπνῷ διατρίβωσι διὰ παντὸς δακρύουσιν, ὅταν δὲ ἐν ἀέρι λεπτῷ καὶ λειμῶνι, καὶ πηγαῖς, καὶ παραδείσοις, ὀξύτεροί τε γίνονται, καὶ ὑγιεινότεροι, οὕτω καὶ ὁ τῆς ψυχῆς ὀφθαλμὸς, ἂν μὲν γὰρ ἐν τῷ λειμῶνι τῶν πνευματικῶν λόγων βόσκηται, καθαρὸς ἔσται, καὶ διαυγὴς, καὶ ὀξυδερκῶν, ἂν δὲ εἰς τὸν καπνὸν τῶν βιωτικῶν ἀπίδῃ πραγμάτων δακρύεται μυρία, καὶ κλαύσεται, καὶ νῦν, καὶ τότε, καὶ γὰρ καπνῷ ἔοικε τὰ ἀνθρώπινα πράγματα, διὰ τοῦτο καὶ ὁ Δαβὶδ ἔλεγεν, ἐξέλιπον ὡσεὶ καπνὸς αἱ ἡμέραι μου, ἀλλ᾽ ἐκεῖνος μὲν πρὸς τὸ ὀλιγοχρόνιον, καὶ ἀνυπόστατον, ἐγὼ δὲ οὐκ εἰς τοῦτο μόνον. ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ ταραχῶδες εἴποιμι ἂν δεῖν ἐκλαμβάνειν τὰ εἰρημένα, οὐδὲν γὰρ οὕτω λυπεῖ ψυχῆς ὀφθαλμὸν, καὶ θολοῖ, ὡς ὁ τῶν βιωτικῶν φροντίδων ὄχλος, καὶ ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἑσμὸς, ταῦτα γὰρ τοῦ καπνοῦ τούτου τὰ ξύλα, καὶ καθάπερ τὸ πῦρ, ὅταν ὑγρᾶς, καὶ διαβρόχου τινὸς ἐπιλάβηται ὕλης, πολὺν ἀνάπτει τὸν καπνὸν, οὕτω καὶ ἡ ἐπιθυμία ἡ σφοδρὰ αὕτη, καὶ φλογώδης, ὅταν ὑγρᾶς τινος καὶ διαλελυμένης ἐπιλάβηται ψυχῆς, πολὺν καὶ αὕτη τίκτει τὸν καπνὸν, διὰ τοῦτο χρεία τῆς δρόσου τοῦ

πνευ-

πνεύματος, καὶ τῆς αὔρας ἐκείνης· ἵνα τὸ πῦρ σβέσῃ, καὶ τὸν καπνὸν διαχέῃ, καὶ πτηνὸν ποιήσῃ ἡμῖν τὸν λογισμόν· οὐκ ἔστι γὰρ τοσούτοις βαρυνόμενον κακοῖς πρὸς τὸν οὐρανὸν διαπτῆναι. hoc est, Quemadmodum enim corporis oculi si in fumo insint, semper lacrymantur: si in liquido aëre, aut in horto, aut in fontibus, & pomarijs acutiores fiunt, & valentiores; sic animi oculus, si in horto spiritualiũ sermonum pascatur, purus erit, & splendidus, & acutus, sin contra in fumum rerum humanarum intueatur, lacrymabitur nimium, ac lugebit & in hac vita, & in altera; sunt enim res humanę fumo cõsimiles, quare dicebat David, Defecerunt sicut fumus dies mei; sed ille temporis breuitatem, ac rerum fluxum spectans; ego non hoc tantum, sed etiam pro turba dicerem accipienda esse quæ dicta sunt, nihil enim oculum animæ sic turbat, vt huius vitæ curarum multitudo, & cupiditatum examen; hęc enim sunt huius fumi signa. At quemadmodum ignis cum materiam quãdam humidam, ac madefactam arripuerit, magnum excitat fumum, ita cupiditas hęc vehemens, & inflammata, tum humidã quampiam, ac dissolutam comprehenderit animam, magnum ipsa quoq; parit fumum; vt propterea opus sit rore spiritus, & aura illa quæ ignem extinguat, ac fumũ dissipet, & volucrem faciat nobis rationẽ, quæ tot malis grauata in cœlum volare nõ potest.

Idem

Idem faciunt Latini cum dicunt, Orate fratres, vt hoc meum sacrificium &c.

Inflectit autem populus caput cum omni reuerentia, & religione, rogatq; Sacerdotem, & Diaconum,& Pontificem vt eorum sint memores in donis offerendis. Adhibetur hæc cæremonia ad vsum, oportet enim offerri, & in summo altari reponi dona quæ sunt consecranda, idque quammaxime fieri potest honestè, deuote, reuerenter, ita enim introducebantur dona Dei. Accidere etiam oportet ad Sacerdotis genua,& orare,vt illis precationibus nostri meminerit; neq; enim est alius modus supplicationis qui tantum possit, & qui magis firmam,& stabilē nobis spem præbeat, quam qui fit per hoc venerādum sacrificium, quo impietas,& iniquitas mundi gratis deleta est. Si qui autem eorum qui Sacerdote, & Diacono cum donis incedentibus humi procumbunt, tamquam corpus,& sanguinem Domini,quæ dona gestant adorant, liturgiæ præconsecratorum donorum aditu decepti faciunt; ignorāt enim differentiā huius,& illius sacrificij,huius enim initium non consecrata habet dona, illius habet & corpus,& sanguinem Christi Saluatoris, præcedente Dominico die consecrata, quod iam diximus. In medium templum cum muneribus progressi,elata voce dicunt. μνησθείη κύριος ὁ θεὸς πάντων ὑμῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ πάντοτε

νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν. ideſt recordetur Dominus Deus omnium veſtrum in regno ſuo, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen. Latini dicunt in Canone, Memento Domine omnium famulorum, famularumque tuarum, &c. Porro hæc dona non eſſe conſecrata, neque eſſe corpus, & ſanguinem Domini, cum per ſe notum ſit, cum Sacerdos nondum protulerit verba conſecrationis, tamen aduerſus nonnullorum imperitorum ignorantiam dicam breuiter; hoc intelligi poſſe, vel ex ſequentibus precationibus, in quibus dicitur, ὑπὲρ τῶν προτεθέντων τιμίων δώρων, non enim ſi ſunt τίμια, ſtatim ſunt ἅγια, ſeu ἡγιασμένα. Paulò infra dicit Sacerdos; πρόσχωμεν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐν εἰρήνῃ προσφέρειν, ideſt, attendamus ſanctam oblationem in pace offerre, nam ſi vult προσφέρειν, ideſt offerre, non eſt iam oblata, ſi eſt ἀναφορά, non eſt θυσία. De quorum nominum differentia plenius infra dicemus. Pergit deinceps Diaconus precationes recitare, de quibus plura dicit S. Ioan. Chryſoſt. in homil. 2. in 2. Epiſtolam ad Corinthios, & ſupra etiam nos ſumus locuti.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ παντοκράτωρ. Domine Deus omnipotens.

PEtit Pontifex ab omnipotenti Deo vt ſuſcipiat munus, & immaculatam hoſtiam, neque

neque spectet infirmitatē petentis, & peccata. Idem faciunt Latini, cum dicunt, Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo viuo, & vero.

Obserua hoc loco simplicem panis, & vini, quam vt diximus vocari ἀναφορὰν, appellari in hac precatione θυσίαν, idest sacrificium, & paulo infra, vt etiam in superioribus precationibus, ἁγίαν ἀναφορὰν, idest sanctam oblationem, idq; ea de causa, quia sunt materia sacrificij, & iam dedicata, ac parata, vt ex ijs fiat sacrificium, nam & in lege veteri dicebātur passim sacrificia, oues adhuc viuentes, dum afferebantur vt immolarentur. Vnde est illud Cypriani in sermone de eleemosyna, diues, & locuples in domum Domini sine sacrificio venis. Dicūtur autem merito sacrificium dedicata iam, & consecrata ad vsum diuinum, cum sint oblata prius. Tum quia pura, sanctaq; voluntate offeruntur ab Ecclesia. sed quāquam eo modo sancta sint, tamen sanctiora fieri debent per mutationem in corpus, & sanguinem Iesu Christi. Ideo recte petimus, vt ipsa Deus sancta efficiat, vtq; super apposita munera gratia Spiritus sancti consistat.

Εἰρήνη πᾶσι. Pax omnibus.

IN Latino sacro dicitur Dominus vobiscū, in Græco pax omnibus, vt etiam habetur

in Constit. Apost. cap. 12. & in omnibus liturgijs Sãctorum Patrum, & S. Marci, & S. Iacobi. Idq; ea de causa, quia Dominus Iesus Matt. 10. docuit Apostolos, vt pacem nunciarent cum aliquem ingrederentur vel locum, vel vrbem. Hoc sane modo apud Græcos possunt salutare tam Pontifices, quàm presbyteri. Sed in Romana Ecclesia mos obtinuit, vt Episcopi tantum dicant, pax vobis, Sacerdotes verò Dominus vobiscum, qui semel tantum in Missa dicunt, Pax Domini sit semper vobiscum. De εἰρήνη πᾶσι, mentionem facit S. Io. Chrysost. homilia 32. in Matth. vbi ait, καὶ ὅταν εἴπω εἰρήνη ὑμῖν, εἶτα εἴπητε, καὶ τῷ πνεύματί σου, μὴ τῇ φωνῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ γνώμῃ, μὴ τῷ στόματι ἀλλὰ καὶ τῇ διανοίᾳ. i. Et cum dixero, pax vobis, postea vos respondeatis, & cũ spiritu tuo, nec voce tantum id dicatis, sed etiã mente, neque ore, sed etiam cogitatione. Et S. Dionysius Areop. in lib. de cælesti Hier. his verbis, diuinissima autem salutatio sancte peragitur, & Hagiographarum tabularum mystica est, & supra mundana recitatio.

Ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους, ἵνα ἐν ὁμονοίᾳ ὁμολογήσωμεν. Diligamus inuicem, vt in concordia confiteamur.

Hortatur Diaconus populũ ad mutuam charitatem, vt simus vnanimes, quod præ-

præceptum Domini est, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Eodem hortabatur S. Ignatius in epistola 11. ad Ephesios, vbi ait, χορὸς γένεσθε εἷς, ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ, σύναφειαν θεοῦ λαβόντες, ἐν ἑνότητι ἓν γένησθε τῇ συμφωνίᾳ τῷ θεῷ πατρὶ, καὶ τῷ ἠγαπημένῳ υἱῷ αὐτοῦ, Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, δὸς γάρ αὐτοῖς φησὶ πάτερ ἅγιε ἵνα ὡς ἐγὼ, καὶ σὺ ἕν ἐσμεν, καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσι. χρήσιμον οὖν ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι συνημμένους θεῷ, μιμητὰς εἶναι Χριστοῦ, οὗ καὶ μέλη ὑπάρχετε. Singuli autem inquit, Chorus vnus efficiamini, vt consoni per concordiam, atque cum Deo connexionem nacti, in vnitate vnum efficiamini consensu Deo Patri, & dilecto eius Filio Iesu Christo Domino nostro, ait enim, Da illis Pater, vt sicut ego, & tu, vnum sumus, & ipsi vnum sint: vtile est ergo, infert sanctus ille vir, nos non reprehendenda coniunctione adstrictos Deo, imitatores esse Christi, cuius & membra sumus. Et in Epistola 6. ad Philadelphienses, ait, οὗ διάστασις καὶ ὀργὴ καὶ μῖσος, ἐκεῖ θεὸς οὐ κατοικεῖ, vbi disiunctio, & ira, & odium, ibi Deus non habitat. Sanctus etiam Paulus ille μεγαλοφωνότατος κῆρυξ veritatis in Epistola ad Romanos c. 15. eius rei causam reddens, ait, ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν θεὸν. i. vt vnanimes, vno ore, honorificetis Deum, quod hic dicitur ἵνα ἐν ὁμονοίᾳ ὁμολογήσωμεν πατέρα υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τριάδα ὁμοούσιον, καὶ ἀχώριστον, & ad Romanos 12.

μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες, cum omnibus hominibus pacem habentes. & ad Timoth. cap. 2. βούλομαι οὖν, ait, προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας, χωρὶς ὀργῆς, καὶ διαλογισμοῦ, volo ergo ipſe viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione. Ad Hebræos 12. ait, εἰρήνην διώκετε μετὰ πάντων, καὶ τὸν ἁγιασμὸν, οὗ χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν κύριον. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctitatẽ, ſine qua nemo videbit Dominum. & S. Ignatius Epiſtola 11. ad Epheſios ait, οὐκ οὐλήσεται ὑμᾶς τι τῶν νοημάτων τοῦ διαβόλου, ἐὰν τέχητε τὴν πίστιν, καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς, καὶ τέλος. ἀρχὴ ζωῆς πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη, τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα θεοῦ, ἄνθρωπον ἀποτελεῖ, τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκἀγαθίαν ἀκόλουθά ἐστιν. i. Non lędet nos aliqua diabolica cogitatio, ſi habueritis Fidem, & Charitatem, quæ initium eſt vitæ, & finis, principium vitæ Fides, finis eiuſdem Charitas, hæc autem duo quoties in vnũ coeũt, Dei hominem perficiunt, omnia vero alia ad probitatẽ conſentanea ſunt. Ad hanc pacem retinendam etiam Eccleſia Occidentis hortatur, cum in liturgia recitat, Domine Ieſu, qui dixiſti Apoſtolis tuis, pacem relinquo vobis. & rurſus, pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Item, Da propitius pacem in diebus noſtris.

Quod ſi diligentius perpendamus cur Ec-

clesia Dei hoc verbo vtatur ἀγαπήσωμεν, non sane leuem esse caussam reperiemus, perfectus enim quidam amor declaratur hoc verbo, imperfectus autem si diceret φιλήσωμεν, vel ἀσπασώμεθα ostenditur. quam verborum differétiam ex duobus sacrarum literarum locis, non obscure quiuis per se intelligere posset; quæ hic subijcere non grauabor, vt quantam perfectionem in suis filijs Ecclesia inesse cupiat, planissime cognoscatur. Primus locus est in Euangelio Sancti Ioannis, vbi agit de Lazaro à mortuis excitato, eius enim sorores cum ad Christum mitterét, qui Lazarum ægrotare nunciarent, quod nondum ad plenum quendam, atque absolutum vitæ statum peruenerant, ecce inquiunt ὃν φιλεῖς ἀσθενεῖ, non dixerunt ὃν ἀγαπᾷς, nondum videlicet nouerant ἀγάπης, & φιλίας differentiam. Consimiliter Iudæi, cum Christum lacrymantem vidissent, en dixesunt πῶς ἐφίλει αὐτόν. At Ioannes qui optime hanc verborum differentiam callebat, optimeq; intelligebat propriam esse Dei τὴν ἀγάπην, ita locutus est, vt diceret ἠγάπα δὲ ὁ Ἰησοῦς τὸν Λάζαρον. cum autem sint in amore tres veluti gradus, vt primũ vtilitas, deinde voluptas, postremo virtus diligatur; primus gradus ad Iudæos fortasse pertinet, secundus ad sorores, tertius ad Christum. Alter locus multo illustrior, id quo de agitur, *Arist. lib. 8. Ethic. cap. 3.*

planissime, atque apertissime declarat, cum Christus Petrum ter interrogauit an se vel diligeret, vel amaret; nam primum interroganti ἀγαπᾷς με, non ita respondit Petrus, vt eodẽ vteretur verbo, sed tu nosti Domine ὅτι φιλῶ σε, deinde perturbatum esse legimus tertia interrogatione, quod videlicet, non vt in prima, secundaq; fecerat, sic interrogauit ἀγαπᾷς με, sed φιλεῖς με. Postremo viam quandam esse τὴν φιλίαν ad τὴν ἀγάπην, Christus ita declarauit, vt primum agnos, deinde ouiculas (legitur enim in quibusdam manu scriptis libris non πρόβατα, sed προβάτια) ad extremum verò τὰ πρόβατα, idest oues iusserit pasci.

Τὰς θύρας τὰς θύρας ἐν σοφίᾳ πρόσχωμεν.
Ianuas Ianuas in sapientia attendamus.

CVm veterum memoria ad templa in quibus fiebant sacra, multi cõcurrerent non solum Catholici, sed etiam Hæretici, à quibus non raro excitabatur tumultus insolenter de hoc mysterio; ideo cum sit iam tempus recitandi Symbolum Fidei, sanctamq; Hostiam offerendi Deo; ne turba existat ab Hæreticis aliqua, clamat Diaconus, Ianuas, Ianuas in sapientia attendamus, quod munus expellendi eiusmodi homines Diaconi fuisse, nemini dubium est, & supra etiam nos attigimus.

Quod ad verbũ θύρα, sciendum, q̃ portæ illæ

tres

tres sanctuarij vocantur βημόθυρα, & ἅγιαι θύραι, quemadmodum etiam cuiuslibet domus ianua, θύρα dicitur; Ciuitatis autem portæ πύλαι, nomine multitudinis efferuntur; Apud antiquos Scriptores reperitur ἱεραὶ πύλαι, vt apud Plutarchum in Sylla, & erat porta quædam Athenarum: Reperitur etiam χαρώνειος θύρα, qua educebantur ad supplicium, qui capitis essent condemnati; vide Pollucem: testatur etiam Plutarchus in alijs vrbibus Grçcię portam quandam sceleratam fuisse, qua sontes τὴν ἐπὶ θανάτῳ ducerentur, ipse πύλας ἀποφράδας vocat; hinc est apud Plautum prouerbium, extra portam ire, in Milite. Et Seneca senior libro 1. controuersiarum, Dicendum est in puellam vehementer, non sordide, nec obscene, sordide Basilius, qui dixit extra portam istam Virginem, respondet illis Græcorum ἐς μακαρίαν, & ἐς κόρακας.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.

HYmnum hunc, vt dicit S. Dionys. Areop. in lib. de cælesti Hier. parte 1. cap. 3. alij laudationem vocãt, alij gratiarum actionem, alij religionis symbolum; quid autem hoc nomen Græcum symbolum significet, dicendum est breuiter. Σύμβολον igitur quoniam dedu-

dum est à verbo συμβάλλω, vel σύμβάλλομαι, quæ verba apud Græcos diuersa significant, ideo & ipsum nomen diuersa, & varia significat, quæ à Græcis, & Latinis Grammaticis collecta sunt, nam interdum symbola, illa est cum plures pro sua quisque parte aliquid vnum in locum conferunt, ad celebranda conuiuia, & ipsum interdum conuiuium. Sic Terentius in Andria, symbolum dedit, quamuis quidam fœminino genere symbolam dicere malint, sic Turnebus corrigit illum locum Terentij. Hoc autem Conuiuium, quod vocabant antiqui σύμβολον, Homerus in lib. Vlixeæ, & Hesiodus, & alij plerique ἔρανον dixere. Quare ἀσύμβολον dicere consueuimus conuiuam, qui nihil in cœnam contulerit. Symbolum etiam interdum est signum quod vel epistolis, vel vasis imprimitur, ne resignentur à quibus non oportet. Significat preterea symbolum, bellicum signũ, & tesseram, quo in bello vti, moris fuit. Interdum indicium, seu coniecturam, qua aliquid præcognoscimus, vnde & Græci symbolum definiunt, σύμβολόν ἐστιν ἐξ οὗ ἐστὶν ἡμᾶς συμβάλλειν, καὶ γνῶναι, idest symbolum est ex quo aliquod nobis conijcere, ac nosse licet. Ad varia etiam transfertur, nam & annulum nuptiarum symbolum dicunt, item numisma, vt sit ciuitatis, vel Principis indicium, interdum augurium, & vaticinium. Mitto hic quæ Moscopulus hac

de re scripsit, sed vt vrbium, & legum symbola Græci posuere, ita & sentētiarum arcanarum, mysticarumq; rerū, quare Rufinus Aquileiensis Apostolos ait, ea ratione sua symbola posuisse, quibus quod eorum quisque de religione sentiret, in medium, & in vnum contulere. Ita exponit etiam S. Augustinus in sermone habito die Palmarum, cuius tale est exordium: Symbolum quod vobis tradituri sumus fratres charissimi, cōprehensio est Fidei nostræ, atque perfectio, simplex, breue, plenum, vt simplicitas consulat audientium rusticitati, breuitas memoriæ, plenitudo doctrinæ, quod enim græce symbolum dicitur, latine collatio nominatur: collatio ideo, quia collata in vnum totius Catholicæ legis Fides, symboli colligitur breuitate. Hoc symbolum Fidei recitat etiam Ecclesia Occidentis, quod instituit Damasus Pontif. in Concilio etiam 3. Tol. can. 2. statuitur vt in Ecclesijs Hispaniæ, more Orientis Ecclesiæ, symbolum dicatur in sacris Dominicis diebus; verba autem Cōcilij hæc sunt, Pro reuerentia sanctissimæ Fidei, & propter hominum inualidas mentes, consultu pijssimi, & gloriosissimi Recaredis Regis, constituit synodus, vt per omnes Ecclesias Hispaniæ, & Galitiæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum Concilij Constantinopolitani, hoc est secundū quinquaginta Episcoporum symbolum

bolum Fidei recitetur voce clara, quo & Fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus, & sanguinem prælibandum, pectora populorum Fide pacificata accedant.

Dicitur autē in hoc Symbolo Spiritum sanctum à Patre procedere, non excludendo Filium, aliter esset hæresis Nestorij, qui primus inuexit hanc hæresim Spiritum sanctum non procedere à Filio, vt videre licet in symbolo Nestorij, quod ponitur in Concilio Ephesino tom.2. cap.37. & apud Theodoretum in refutationibus Anathematismorū Cyrilli cap.9. de quo Bessarion in fine orationis in Concilio Florentino habitæ. Neque vero est error in Fide, dicere Spiritus sanctus à Patre procedit, si sano modo intelligatur, vt dicebamus, quandoquidem hic modus loquendi reperitur in sacro eloquio. Imo conceditur in quibusdam perbreuibus constitutionibus super aliquibus ritibus Græcorum ad Reuerendissimos Patres Dominos Episcopos Latinos, in quorum ciuitatibus, vel Diœcesibus Græci, vel Albanenses græco ritu degunt, iussu sanctissimi Domini Clementis VIII. P.O.M. nuper editis, vbi sunt illa. Græci credere tenentur etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, aut necessitas postularet cōfitendi Fidem Catholicā, quia tunc oporteret etiā pronūciare.

Στῶμεν καλῶς, στῶμεν μετὰ φόβου, πρόσχωμεν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐν εἰρήνῃ προσφέρειν.

Stemus honeste, stemus cum timore, attendamus sanctam oblationem in pace offerre.

HOrtatur Diaconus adstantem populum vt honeste, pie, reuerenter, placide hoc agat, sanctaq; offerat munera, recordeturque verborũ Domini, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniẽs offeres munus tuum. Attentionem autem, & silentium indicit Diaconus (apud Latinos Sacerdos dicit, orate fratres) ne aliud agant, ne ue mentibus, animisq; peregrinentur, quamuis corporibus sint præsentes, in re etenim diuina toti esse debent, vt ne vox quidẽ obstrepat vlla, aut triste aliquid audiatur. Virgilius Poeta celeberrimus, quãuis Ethnicus, optat fida silentia sacris; Græci mysteria vocant, à claudẽdo ore, μύειν τὸ στόμα: vt docet Aristophanis scholiastes, licet aliter sentiat Phurnutus. De hoc στῶμεν καλῶς, mentionem facit S. Io. Chrysostomus homil. 2. in 2. Epistolam ad Corinth. vbi ait, ὅταν εἴπῃ, scilicet Sacerdos, στῶμεν καλῶς, δεηθῶμεν, πάντας εἰς τὴν εὐχὴν παρακαλεῖ, hoc est cum dixerit, stemus honeste, oremus, omnes hortatur ad orandam.

Sed

Sed posset quis hoc loco quærere, cur sacrificium offeratur, cum sit iam oblatum initio sacri, in altari propositionis? cum in superioribus precationibus dictum sit ὑπὲρ τῶν προτεθέντων τιμίων δώρων. Responderem ego, illa priora oblata munera præparationem quandam fuisse, ad hęc posterius offerenda, in quibus vere sacrificium consistit: eiusmodi autem cæremonia, & offerendi præparatio, fit etiam in sacro Latino precatione, cuius initium, Veni sanctificator omnipotens æternæ Deus, &c.

Illud etiam obiter hic obseruandum, esse differentiam inter θυσίαν, & ἀναφορὰν, vt docet S. Io. Chrysostomus in cap. 10. Epistolę ad Hebræos, quod θυσία dicitur de rebus illis quę occiduntur, vel aliter consumuntur, quo etiam pertinet vox τελετή. at vero ἀναφορὰ simplicem tantum notionem habet offerendi, ideo etiam dicitur hoc loco ἀναφορὰ, non θυσία, quamuis possit quodammodo dici θυσία, vt supra exponebamus.

Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας, idest sursum corda. Chorus. ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον. i. habemus ad Dominum.

Εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ. i. gratias agamus Domino

Chor. ἄξιον καὶ δίκαιον. i. dignum, & iustum est.

Habentur verba hæc in vtroq; sacro tam Græco, quam Latino, vt videre licet in

liturgijs Apostolorum, & sanctorum Patrum, eorumq; meminit Clemens lib. 8. Const. c. 12. Cyprianus in sermone 6. de oratione Dominica, S. Cyrillus Hier. de Eucharistia, cuius illa sunt, Quid facis ô homo, non promisisti Sacerdoti, qui dixit, sursum corda, & dixisti, habemus ad Dominum. & homilia de natura Dei: S. Augustinus in epistola 57 ad Dardanū. 120 ad Horatum. 156 ad Probam. libro de spiritu, & litera cap. 11. lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap. 13. Reliqua verba præfationis etiam si non sint eadem, magnam tamen habent cum Latinis similitudinem. Recitata præfatione in vtroque item sacro dicitur Trisagium, Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod partim sumptum est ex hymno Angelorum, quem Isaias cap. 6. & Ioannes cap. 4. in Apocalypsi audiuisse se narrant, cum ille gloriam Dei vidit, & Seraphim his vocibus audiuit clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Hic verò quatuor animalia dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens. Partim ex cantico Hebræorum, quod Christo Domino cecinerunt Hierosolymam die Palmarum ingredienti. Habetur in omnibus liturgijs, S. Iacobi, S. Marci, S. Basilij. Extat peculiaris Canon in Concilio Vasensi can. 4. Matth. 21.

Ter dici Sanctus in Latino sacro statuisse-
ferunt

ferunt Sixtum Pontificem, quemadmodũ præfationes conscripsisse Gelasium item Pontificem. Verum quamuis hi statuerint, vt in sancta Ecclesia Romana caneretur hymnus ter Sanctus, illum tamen à Græcis acceperunt, paucis quibusdã additis, & immutatis. Vsum huius hymni in sacris mysterijs nõ modo apud Latinos, sed & apud Græcos, probat S. Athan. lib. 6. de Fide sua ad finem.

O ἱερεὺς κλίνας τὴν κεφαλὴν λέγει μεγαλοφώνως. Sacerdos inclinato capite dicit alta voce
ΛΑΒΕΤΕ ΦΑΓΕΤΕ ΤΟΥΤΟ ΜΟΥ ΕΣΤΙ ΤΟ ΣΩΜΑ.
Accipite, comedite, hoc est corpus meum.
ΠΙΕΤΕ ΕΞ ΑΥΤΟΥ ΠΑΝΤΕΣ ΤΟΥΤΟ ΕΣΤΙ ΤΟ ΑΙΜΑ ΜΟΥ.
Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus.

POst præfationem recitatam Pontifex inclinat caput, atque altiore voce recitat verba consecrationis, in quibus deest illa particula, *enim*, quæ est in sacro Latino. Inclinatio autem corporis apud Græcos, vt apud Latinos genuum flexio, humilitatis, & reuerentiæ est index, quam si quis reprehendere ausit, in maxima versatur inscitia sacrarum literarum, & historiarum Sãctorum Patrum, passim enim genuum flexio vsurpatur à Sanctis Patribus, vt videre est in Menologio, in 2. Paralip. 6.

Salomon

Salomon flexis genibus precatur. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſitis genibus precatus eſt. Et Daniel, legitur ter in die genu in oratione flexiſſe. Et Stephanus poſitis genibus pro lapidãtibus orauit, vt in actibus Apoſtolorum legimus. *Luc.* 22

Eſt enim vt S.Cyprianus ait, in Sermone de oratione Dominica, placendum diuinis oculis etiam habitu corporis. Et S.Ioannes Chryſoſt. in ſerm. 4. in Matth. ait τὸν πιστὸν πανταχόθεν δεῖ εἶναι γνώριμον, καὶ ἀπὸ τοῦ βαδίσματος, καὶ ἀπὸ τοῦ βλέμματος, καὶ ἀπὸ τοῦ σχήματος, καὶ ἀπὸ τῆς φωνῆς, ταῦτα δὲ οὐχ ἵνα πρὸς ἐπίδειξιν, ἀλλ' ἵνα πρὸς ὠφέλειαν τῶν ὁρώντων ἑαυτοὺς ῥυθμίσωμεν. hoc eſt, fidelem vndecumq; cognitum eſſe oportet, & ab inceſſu, & ab obtutu, & à figura, & à voce, atq; hæc non ad oſtentationem, ſed ad eorum, qui vident vtilitatem, concinnemus. ſed quoniam hoc certiſſimum eſt, ad alia pergamus.

Profert Pontifex verba conſecrationis ex perſona Chriſti Domini, nõ opus enim eſt noſtrum Miſſa, ſed Chriſti, ipſe eſt enim verus Sacerdos, qui per miniſtros ſacrificiũ offert, per quod purgat, ac condonat peccata. Profert autem alta voce, vt ea ab omni populo adſtante audiantur. id autem fortaſſe facit ea de cauſa, vt ſciat populus, quando debeat adorare corpus, & ſanguinem Domini, non enim facile hoc ſciret, ſi clauſis ianuis, ſeu cancellis verba

consecrationis submissa voce recitarentur.

In Latino sacro verba consecrationis submissa voce proferuntur; vt tamē sciat populus quando iam consecrauit Sacerdos, Clericus adstans pulsat campanam.

In fine illorum verborum respondet populus, Amen; cuius verbi amen, mentionem facit Euseb. lib. 7. Hist. cap. 9. S. Io. Chrysost. hom. 18. in posteriorem ad Corinth. S. August. in lib. ad Orosium quæst. 49. S. Paulus ad Corinth. c. 14. vbi ait, ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, ἐπειδὴ τί λέγεις οὐκ οἶδε. hoc est, ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet amen, super tuam benedictionem, vel potius gratiarum actionem, quoniam quid dicas nescit. & Leo sermone 6. de ieiunio. Neque solum post hæc verba respondet populus amen, sed etiam in fine cuiuslibet precationis, vt ex Cypriano patet in sermone de oratione Dominica, Sanctus quidem Hieronymus in præfatione libri 2. in Epistolas ad Galatas scribit in Ecclesijs vrbis Romæ quasi cælesti tonitru audiri populum reboantē, amen. Idem etiam Iustinus sub finem secundæ Apologiæ pro Christianis. Et S. Io. Chrysost. in homilia 2. in 2. Epistolam ad Corinth. vbi ait, εἶτα κλῖναι τὰς κεφαλὰς κελευόμενοι, τεκμήριον τοῦ τὰς εὐχὰς ἀκουσθῆναι ποιούμενοι τὸ τὸν θεὸν εὐλογεῖν, οὐ γὰρ

δὴ

δὴ ἄνθρωπος ἐστὶν ὁ εὐλογῶν, ἀλλὰ διὰ τῆς ἐκείνου χειρὸς, καὶ γλώττης αὐτῷ προσάγομεν τῷ βασιλεῖ τὰς κεφαλὰς τῶν προεστώτων, καὶ ἐπιβοῶσιν ἅπαντες τὸ, ἀμήν.

Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν.
Tua ex tuis tibi offerimus.

NIhil omnino habemus quod Deo omniũ bonorũ ἀφθονοπαρόχῳ offeramus nisi quod de manibus ipsius accepimus, ex illo primi libri Paralip. cap. 29. tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, ob id dicit, Tua ex tuis tibi offerimus.

Μεμνημένοι τοίνυν.
Memores igitur.

HÆc precatio eandem sententiam continet, quam ea, quam recitant Latini in suo sacro. Memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua eiusdem Christi filij tui Domini nostri, tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed etiam in cœlum gloriosæ Ascensionis, offerimus maiestati tuæ &c.

Καὶ νίπτει τὰς χεῖρας.
Et lauat manus.

CÆremonia hæc lauandi manus tam in Græcorum, quam in Latinorũ sacro adhibetur, & ex veteri testamento esse videtur, quod Iudæi non rem modo diuinam, sed con-

uiuium etiam à lauatione manuum inchoare consueuisse dicuntur, quippe qui nefas ducebant edere panem manibus illotis, cuius rei crimen discipulis Domini obijciebant. vel ab Ethnicis sumptum, apud quos sacrificantes primum omnium manus lauabant,& teste Hesiodo vetitum erat, ne quis mane Ioui vinum libaret manibus illotis,ne sacrorum nitor pollueretur, qui & conuiuia lotis prius manibus inibant, Vnde illud ἀνίπτοις χερσίν. Virgilius.

Iam pater Aeneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, stratoq; super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas.

Et apud Plautũ in Aulularia, Ego nisi quid me vis,eo lauatum,vt sacrificem. & Alibi, nũc lauabo, vt rem diuinam faciam: de hac cæremonia lauandi manus in sacro, meminit sanctus Dionysius Areop. cap.3.de Cælesti Hier. Clemẽs lib.8.Cõstit.c.5. S.Io. Chrisost.Hom. 3.ad Ephesios. Cyrillus Catechesi quinta Mystag. vbi ait Vidisti Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem Sacerdoti. Ibidem huius rei causam affert, vbi ait, non adhiberi eam ablutionem ad sordes corporis abluendas, cum ad Ecclesiam sordidis manibus, nemo audeat accedere, sed ad symbolum puritatis animi, qua pollere debent, qui tantum peragunt sacrum.

Καὶ ὁ ἱερεὺς σφραγίζει τὸν ἅγιον ἄρτον,
Et Sacerdos benedicit sanctum panem.

Cruce signant Corpus, & Sanguinem, tam Græci, quam Latini, estq; consuetudo hæc antiquissima, vt videre est in omnibus liturgijs Græcorum, idq; adnotat etiam S. Ioannes Chrysostomus Homilia 55. in Matth. & S. August. Homil. 64. in Ioannem, qui dicunt omnia sacramenta, & ipsum diuinum sacrificium signo Crucis perfici.

Καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου.
Τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, τίμιον αἷμα τοῦ χριστοῦ σου.

Et fac quidem panẽ hunc, preciosum Corpus Christi tui.
Qui autem in Calice est isto, preciosum Sãguinem Christi tui.

His verbis quæ etiam in Missa Sancti Basilij habentur, difficultas imo error maximus videtur inesse, vt non immerito multi etiã ex Latinis reprehẽdere Græcos sint ausi. Nam si verba consecrationis efficiunt illam μετουσίωσιν ex pane in corpus, & ex vino in sanguinem, quorsum nunc Sacerdos petit à Deo vt efficiat panem corpus, & vinum sanguinem Domini? Videtur enim diffidere verbis Do-

mini, quæ quidem vt S. Io: Chrysostomus ait: καθάπερ ὁ δημιουργικὸς λόγος τὸ αὐξάνεσθε, καὶ πληθύνεσθε, εἴρηται μὲν ἅπαξ ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἐνεργεῖ δὲ ἀεὶ, οὕτω καὶ οἱ λόγοι οὗτοι ἅπαξ ῥηθέντες ὑπὸ τοῦ σωτῆρος, διὰ παντὸς ἐνεργοῦσιν. Hoc est, quemadmodum verbum Dei efficax, crescite, & multiplicamini, semel quidem prolatum est à Deo, semper tamen dicitur operari, ita & verba hæc semel prolata semper operantur. Sed conabor ego pro ingenioli mei tenuitate nodum hunc tam implicitum aliqua ratione dissoluere,

Negari quidem non potest sacrificium vim etiam habere aliquam ex probitate, atque integritate eius, qui sacrum facit ministri, quare legit Gen. 4. ἐπεῖδεν ὁ θεὸς ἐπὶ Ἄβελ, καὶ ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ; hoc est, respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, neque id immerito, si enim cetera opera virtutum Deo placent ex ea parte quatenus ex Charitate, rectaque voluntate proficiscuntur, cur non placeat eadem ratione opus hoc Religionis præstantissimum? non tamē hinc potissimum vim habet hoc sacrificium sed ex opere operato, vt Theologi loquuntur; & ex institutione Domini nostri Iesu Christi. Itaque sacerdos illis verbis non dubitat quin placeat Deo sacrificium ex opere operato, aut quin sit consecratum, sed veretur vt sit ipse acceptus, vt propterea petat his verbis πρόσεχε, vt sacrificium peractum ex ea parte quatenus à

se

se offertur, placeat Deo, qui nihil peccat, dum offert incertus de sua dignitate, de probitate vitæ, de conscientiæ puritate, non enim est necessaria eiusmodi ἀκρίβεια, dum ne conscius sit grauis culpæ, & peccati vt vocant mortalis auctore S. Paulo 1. ad Cor. 2. Probet autem seipsũ homo, &c. consimilia verba sunt etiã in Latinorum sacro, vt in illa precatione in spiritu hũ militatis, &c. & iube vt deferãtur hæc munera p manus Angeli ad cæleste altare, nãsi munera illa iã sunt cõsecrata, quonã pacto indiget auxilio, ac magisterio Angelorũ, vt in sublime altare perferantur. In precatione itẽ illa, q̃ oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; quæ verba nõ possunt intelligi, nisi eo quo diximus modo, nõ quod vereatur ne Deus non accipiat hostiam, vel ne sit iam cõsecrata vi priorum verborum Christo operante, sed petit vt sit accepta ex ea parte, quatenus à ministro offertur, & à populo adstante, vt digna sit, quæ accipiatur à Deo; quamobrem dicit etiam S. Basilius in sua Missa, καὶ μὴ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας κωλύσῃς τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος ἀπὸ τῶν προκειμένων δώρων, hoc est, ac ne propter mea peccata prohibeas gratiam sancti tui Spiritus à propositis donis.

Adderem præterea illa verba non proferri à sacerdote, vt per eam precationem consecre-

tur dona, & munera, ſed peti panem qui eſt per illa verba conſecrationis verè corpus Domini, & vinũ quod eſt vere ſanguis eiuſdẽ, ποίησον ἐφ' ἡμᾶς, ſcilicet vt ſit corpus Domini ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς κοινωνίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, μὴ εἰς κρίμα ἢ εἰς κατάκριμα, & quæ ſequuntur, hoc eſt, fieri accipientibus in ſobrietatem animæ, in remiſſionem peccatorum, in communicationem ſancti Spiritus, non in iudicium, aut damnationem, ita vt antecedentia verba coniungantur cum ſequentibus. Hunc ſenſum colligo ex ſimilibus verbis, quæ habentur in Miſſa S. Iacobi ἐξαπόστειλον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἵνα γένηται πᾶσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς ἁγιασμὸν ψυχῶν, καὶ σωμάτων. hoc eſt, mitte ſuper nos, & ſuper propoſita munera Spiritum tuum ſanctum, vt fiant omnibus in remiſſionem peccatorum, in ſanctificationẽ animarum, & corporum. Neque quicquam obſtat Superiori noſtræ expoſitioni quod Sanctus Baſilius Magnus in ſuo ſacro ſãctiſſimam hanc Euchariſtiam, poſt conſecrationem vocat ἀντίτυπα τοῦ τιμίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Dicitur enim ἀντίτυπον, quod etiam obſeruauit Illuſtriſs. Cardinalis Bellarmenius acerrimus Hæreticorum debellator, non ſolum quia ſpecies panis, & vini ſunt ſigna corporis, & ſanguinis re vera ibi exiſtentium, ſed etiam

quod

quod ipsum corpus, & sanguis Domini, vt sunt sub illis speciebus, signa sunt eiusdem corporis, & sanguinis Christi Domini, repræsentat enim Eucharistia Passionem Christi, & ideo fortassis sanctus Basilius non vocat sacram Eucharistiam τύπον seu figuram, sed ἀντίτυπον, quia vt diximus ἀντίτυπα non dicuntur qualibet figuræ, sed tantum eæ, quæ nihil ferè differunt à veritate ipsa. Porrò panis, & vinum remoto corpore Domini non ita ad viuum repræsentant corpus, & sanguinem, vt dici possint ἀντίτυπα, melius enim repræsentabat Agnus Paschalis, & tamen non dicebatur ἀντίτυπον, sed τύπος, at si sub specie panis sit verè corpus Domini, tum vere Eucharistia erit ἀντίτυπον corporis in cruce immolati. Vt si quis Rex bellum iam confectum ad oblectandum populum in scæna repræsentari vellet, & ipse idem, καὶ αὐτότατος qui vere pugnauerat in scæna seipsum ageret, esset verè ipse ἀντίτυπον sui ipsius. Sunt & alia huiusmodi ἀντίτυπα in sacris literis, nã cum tribus diebus Christus latuit, ac tandem tertio die inuentus est in Templo, significauit se triduo futurum in sepulchro, tertiaque die resurrecturum. & Matth. 17. cum transfiguratus est in monte coram Prophetis, & Apostolis significare voluit se eo modo videndum in gloria cælesti ab omnibus Sanctis veteris, & noui Testamenti. ipse igitur non semel fuit

ἀντι-

ἀντίτυπον, & figura ſui ipſius. Sanctus Cyrillus Hier. Catecheſi quarta Myſtag. hanc rem explicans ἐν τύπῳ, inquit ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος, σύσσωμος, καὶ σύναιμος αὐτοῦ in ſpecie inquit panis datur tibi corpus, & in ſpecie vini datur tibi ſanguis, vt fieres cum corpus, & ſanguinem ſumpſeris (vt ita dicam) concorporeus, & conſanguineus. & idem Catecheſi quinta Myſtag. loquitur de corpore, & ſanguine Domini, & ait: μὴ τῷ λάρυγγι τῷ σωματικῷ ἐπιτρέπετε τὸ κριτικὸν, ἀλλὰ τῇ ἀνενδοιάστῳ πίστει, γευόμενοι γὰρ οὐκ ἄρτου κελεύονται γεύσασθαι, ἀλλ' ἀντίτυπου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ, ne faucibus, inquit, corporis committatis iudicium, ſed in dubitatæ fidei, dum guſtant enim non panem iubētur guſtare, ſed expreſſo Chriſti corpore, & ſāguine, vbi non τύπον dixit, ſed ἀντίτυπον. quæ propoſitio, ἀντί, ſignificat ἰσότητα, vt docuit etiā Alex. Aphrodiſieus in illud primi artis Rhetoricæ Ariſtot. Ἀντίστροφος. & Ariſtoteles ſignificauit 4. libro τῶν πολιτικῶν, vbi τὴν ὀλιγαρχίαν eſſe dixit ἀντίστροφον τῇ τυραννίδι, ideſt eādem vim habere quam tyrannis, & ibidem ἀντίστροφον τῇ μοναρχίᾳ eandem eſſe tyrannidem, quod vtrumque ad vnum pertineat. Homerus etiam lib. I. Vlixeæ. Polyphemum ἀντίθεον hoc eſt ἰσόθεον appellat. ἀντίθεον πολύφημον ὅου κράτος ἐστὶ μέγιστον. S. Ioannes Damaſc. in 4. lib. τῆς ἐκδόσεως τῆς ὀρθο-

δόξου

δόξου πίστεως cap. 89. ἀντίτυπα δὲ τῶν μελλόντων λέγονται, inquit, &c. æqualia ꝺ futuris dicũtur, ait, non quod nõ sint vere corpus, & sanguis Christi, sed quod nunc per ipsa participes sumus diuinitatis, tunc autem mente per solum aspectũ. Sanctus quoque Dionys. Areop. in lib. de Cælesti Hier. cap. 1. ait: τὴν τῆς θεοτάτης μετάληψιν, εἰκόνα εἶναι τῆς Ἰησοῦ μετουσίας, τῆς δηλονότι διὰ τῆς θέας μακαρίας δίχα συμβόλων ἐν οὐρανῷ γινομένης, diuinissimæ Eucharistiæ sumptionem imaginem esse Iesu communionis, eius videlicet, quæ beato aspectu erit in cælo sine signis. Nam quod Sanctus Athanasius aduersus Gaiaritas ait, μὴ γένοιτο ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ τὴν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον, ἀλλ᾽ ἀληθῶς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ χριστοῦ. hoc est procul absit, vt nos dicamus ἀντίτυπον corporis Christi sanctam communionem, aut nudum panem, sed vere corpus & sanguinem Christi, ideo dixit quod dictionem ἀντίτυπον pro similitudine accepit, nõ pro ipsa re, quod si esset, nullo modo dicẽdum videretur.

Ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυομένων.

Tum offerimus tibi rationabile hoc obsequiũ, pro his qui in fide requiescunt.

Inest in his verbis non minus grauis, quam in superioribus difficultas, si enim vere martyres,

tyres, & amici Dei post huius vitæ pugnam, in cæleste illud quasi Capitolium pompæ ac triũpho simili occursatione accepti, remuneratoris aspectu satiãtur, & incredibili gaudio perfunduntur, ἀμέσως κατοπτεύοντες τὴν ἁγίαν τριάδα, vt Græci canũt; Quorsum nunc pro ipsis Martyribus, Prophetis, Apostolis, & alijs Sanctis, hanc immaculatam hostiam offerũt? quorsum precantur? cum præsertim Sanctus Cyprianus dicat, qui orat pro Sancto ei iniuriam facit. Responderem ad hanc difficultatem; non prodesse Sanctis Missæ sacrificiũ ad culpam, pœnãue condonandam, non ad gratiam, aut gloriã, quam vocant essentialem augendam, non hoc denique illis precari, hoc enim esset iniuriam illis facere, sed pro nobis ipsos deprecatores constituere. petimus enim à Deo vim ita sancte, pieque sacrificium offerendi, vt & gaudiũ inde Sanctorum, & gloria consequatur. Docet id sanctus Cyrillus Catechesi quinta Mystag. vbi explicat ritum huiusce sacrificij, cum hoc sacrificium, inquit, offerimus mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus precationibus illorũ suscipiat preces nostras. Sanctus quoque Basilius in sua Liturgia in precatione post cõsecrationem, vbi mẽtione facta Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & om-

nium

nium Sanctorum, ideo, inquit, mentionem horum facimus ἵνα εὕρωμεν ἔλεον, καὶ χάριν hoc est, vt inueniamus misericordiam, & gratiã. Maxime autẽ ostẽdit non esse pro Sanctis supplicationẽ sed gratiarum actionem. primum quod etiam Dei mater in eo Catalogo ponitur, cum dicitur, ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, quæ vel ipsis sanctissimis mentibus sine vlla cõparatione sanctior est; quam etiam S. Io: Damasc. in opusc. quod παρακλητικὴ inscribitur ἁγιώτερον appellat. Deinde verba in fine huius precationis, ὧν ταῖς ἱκεσίαις ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ὁ θεός, idest quorum precibus protege nos Deus.

Ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς
Pro requiæ, & remissione animæ.

SVpplicat pia mater Ecclesia pro ijs qui ex hac vita migrarunt, eosq; commẽdat Deo, sperans fore, vt sanguis ille preciosissimus, qui pro multis est effusus non ad viuorum salutem modo vim habeat plurimam, sed etiam ad auxilium, opemque mortuis impetrandam, præcedunt enim Christi fideles, cum ex hac vita decedunt, non præciduntur, prodeunt signo fidei muniti, Spiritu sancto renati, Cruce Christi Domini insignes, ergo pro mortuis precatur, non pro sanctis, non sancti nostro, at nos egemus auxilio sanctorum, quod si pro sanctis depreca-

precaremur ipsis potius, vt dixi faceremus iniuriam? At ve pro ijs quidem supplicat qui supplicium luunt æternum apud inferos quorum culpæ sunt omnino inexpiabiles, neque enim aliam ob causam locus ille inferorum dictus est ᾅδης, nisi ad hoc tam luctuosum supplicium indicandum, duplici enim miseri pœna multantur, quarum vnam Theologi appellãt damni, alteram sensus, damnum κατ' ἐξοχὴν dicitur priuari diuino aspectu in sempiternum, quare ᾅδης dictus, quasi ἀίδης ab, α, priuatiuo & ἰδεῖν, idest à non videndo. Sensus pœnam, quod sic animo, atque corpore crucientur, nullam vt prorsus sentiant voluptatem, qua ratione ᾅδης dictus, quasi μὴ ἡδὺς. Cum igitur alij nõ sint pro quibus preces fundantur ab Ecclesia, relinquitur vt tanum pro pijs fidelibus effundantur. Sanctus Io: Chrysost. homilia 69. ad populum Antiochenum, non temere, inquit, hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs mortuorum fiat mentio, sciunt enim ad eos inde magnum deriuari lucrum, magnamque vtilitatem. & in oratione pro defunctis, ait: οὐκ εἰκῆ προσφοραὶ ὑπὲρ τῶν ἀπελθόντων γίνονται, οὐκ εἰκῆ ἱκετηρίαι, οὐκ εἰκῆ ἐλεημοσύναι, ταῦτα πάντα τὸ πνεῦμα διέταξεν. non frustra oblationes pro defunctis fiunt, nõ frustra precationes, nõ frustra eleemosynæ, hæc omnia spiritus instituit. idem docet Sanctus Gregorius Nyssenus;

idem

idem alij, quos citat Damasc. in oratione pro mortuis. & S. Io: Chrysost. in epist. ad Philipp. hom. 3. ἐπινοήσωμεν, ait, τοῖς ἀπελθοῦσιν ὠφέλειαν, δῶμεν αὐτοῖς τὴν προσοῦσαν βοήθειαν, ἐλεημοσύνας λέγω, καὶ προσφοράς, καὶ γὰρ φέρει τούτοις πολλὴν τὸ πρᾶγμα τὴν ὄνησιν, καὶ μάλα κέρδος, καὶ ὠφέλειαν. hoc est excogitemus ijs, qui decesserunt auxilium; feramus ipsis quã possumus opem, eleemosynas dico, & oblationes. affert enim his magnam hæc res vtilitatẽ, & lucrum, & auxilium. Item S. Athanasius ait: Κἂν εἰς ἀέρα ὁ ἐν εὐσεβείᾳ τελειωθεὶς διελύθη, μὴ ἀπαναίνου ἔλεον καὶ κηροὺς χριστὸν τὸν θεὸν ἐπικαλεσάμενος ἐν τῷ τάφῳ προσάψαι, δεκτέα γὰρ ταῦτα θεῷ, καὶ πολλὴν φέροντα τὴν ἀντίδοσιν, quamuis, inquit, in aere, quis pie mortuus dissolutus sit: ne misericordiam neges, & ceras, Deum inuocans in sepulchro accendere; accepta enim hæc sunt Deo, & quæ multam ferunt remunerationem. Sanctus porro Cyrillus Hier. Catechesi quinta Mystag. maximum, inquit, esse credimus animarũ adiumentũ pro quibus offertur obsecratio sancti illius, ac tremẽdi quod in altari positum est sacrificij. S. Epiphanius etiam in Compendiaria doctrina ponit inter dogmata Ecclesiæ pre cari pro defunctis, & pro ijsdem diuino cultui vacare, & mysteriorum dispensationi, quãuis enim ab hac vita discesserint, non tamen a gremio Sanctæ matris Ecclesiæ, & fide Catholica decesserunt. Est etiam Apostolica traditio,

preces

preces pro defunctis effūdere. S. etiam Dionys. Areop. in lib. de cælesti Hier. cap. 7. Venerabilis, ait, sacerdos precatur pro mortuis, vt luce statuat, & regione viuorum. S. Augustinus Enchiridio 110. idem lib. 9. confess. cap. 12. Idem libro de ciuitate Dei ca. 8. S. Io: Chrysost. hom. 72. in Matth. in lib. περὶ ἱερωσύνης, id est de Sacerdotio. & S. Greg. Naz. in orat. ad Cæsariū. quid autem pro mortuis petat, cum id agit, non grauabor adscribere, ex hoc enim facile cognosce te licebit etiam Græcos fateri esse Purgatoriū, & animas quę ibi detinētur fidelium suffragijs potissimū vero acceptissimo Altaris sacrificio adiuuari, itaq; dicitur hic ἀνάπαυσον ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἔνθα ἀπέδρα λύπη, καὶ στεναγμὸς, καὶ ἀνάπαυσον αὐτὴν, ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. id est colloca ipsam (scilicet animam) in loco illustri, in loco vbi non est dolor & gemitus, & vt requiescat effice, vbi aspicit lumen faciei tuæ. In eadē oratione μνήσθητι πάντων τῶν προκεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου. id est, memento omniū qui requiescūt in spe resurrectionis vitæ æternæ. At si sunt in tenebris exterioribus, & absorpsit eos Tartarus, nō possunt esse in spe resurrectionis vitæ æternę. Neq; si cælesti beatitudine fruuntur sunt in spe vitæ æternæ, quā re, nō spe iam cōsecuti. necessario igitur dicēdū est esse in Purgatorio, & in loco spei resurrectionis ad vitā æternā. Fit deinde viuorum

etenim pro vtrisque supplicat etiam sacerdos Latinus in Canone, pro mortuis, cum dicit, memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur. Pro viuis cum vocem paululum attollens ait, nobis quoque peccatoribus famulis tuis: supplicat etiam pro Principibus Christianis pro sancta Catholica Ecclesia, pro captiuis, pro nauigantibus: quod facit ob eam causam, quam affert S. Io: Chrysostomus in sermone 2. in Matt. vbi ait οὕτω γὰρ καὶ τὴν ἀγάπην ἐπισφίγξαι, καὶ γνησιωτέραν ποιῆσαι δυνησόμεθα, καὶ οὐδεὶς δυνήσεται βασκῆναι ἐκείνοις ὑπὲρ ὧν εὐχόμεθα. sic enim, inquit, & adstringere caritatem, & veriorem facere poterimus, nec quis poterit ijs inuidere pro quibus supplicamus. pro omnibus his etiam in sacro Latino fiunt precationes in Canone, vt legentibus perspicuum erit. Tandem Diaconus prosequitur precationes illas, de quibus plura diximus supra, licet pauca quædam illic immutentur.

Σοὶ παρακατατιθέμεθα τὴν ζωὴν ἡμῶν ἅπασαν.
Tibi committimus vitam nostram oēm.

PEtit hac precatione Pontifex à Deo, vt digne cœlestia vsurpet mysteria, vt ne sibi

ſint ad interitum, ſed potius ad vitam confe-
rãt ſempiternam. Itidem fit à Ltinis in ſuo ſa-
cro cum ſupplices ita precãtur, Domine Ieſu
Chriſte fili Dei viui, qui ex voluntate Patris
cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam
viuificaſti, libera me per hoc ſacroſanctũ cor-
pus ab omnibus iniquitatibus meis, & vniuer
ſis malis, & fac me tuis ſemper inhærere man
datis, & à te nunquam ſepararari permittas.

ΚΑὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα μετὰ παῤῥησίας ἀκατακρίτως τολμᾷν ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐπουράνιον θεὸν πατέρα καὶ λέγειν.

Et dignos fac nos Domine cum fiducia irre-
probatos audere inuocare te Deum ſuper-
cæleſtem Patrem, & dicere.

CVm magnum, & incredibile beneficium
fit fidelibus, quod patrem in cælis ha-
beant ſummum omnium effectorem, ac guber
natorem Deum, ſummis ob eam cauſam preci
bus petit Sacerdos, vt omnes dignos efficiat,
vt vere poſſint ipſum Deum patrem appella-
re, ipſiuſque vere ſint filij: Deinceps recita-
tur Pater noſter, vt faciunt etiã Latini. Quã
Dominicam orationem recitandam eſſe in ſa
crificio Miſſæ patet ex omnibus liturgijs Sã-
ctorum Patrum. itèm ex Cyrillo Catecheſi 5.
Myſtag. & ex S. Ambroſio lib. 5. de Sacram.
cap. 4. & ex S. Hieronymo lib. 3. contra Pela-
gianos,

gianos, ex S. Augustino epist. 59 ad Paulinum ex Conc. Tolet. can. 17. Neque enim, vt ait S. Gregorius Magnus congruum videbatur, quod aliæ omnes orationes in hoc sancto ministerio recitarentur, Dominicalis vero Oratio, quæ compendium est, & omniũ bonorum petitio, silentio inuolueretur.

Recitatur autem alta voce, & à choro, nam vt ait Cyprianus in sermone de Oratione Dominica cap. 29. ante omnia pacis doctor atq; vnitatis magister singulatim noluit, & priuatim precem fieri, non vult vt quis cum precatur, pro se tantum precetur, non dicimus Pater meus, qui es in cælis, nec panem meum da mihi hodie, & cætera omnia non singulari numero, sed plurali, nam publica est nobis, & communis oratio, & quando oramus, non pro vno oramus, sed pro toto populo, quia totus populus vnum sumus, ita docuit pacis, & concordiæ magister vnitatẽ, sic orare vnum pro omnibus voluit, quo modo in vno omnes ipse portauit.

Quod ad nomen πονηρὸς attinet: sciendum quod generis humani inimicus vocatur πονηρὸς, idest; malus, à quo in hac Oratione rogamus vt liberemur, nam πονηρὸς apud Græcos ille dicitur, qui confirmato improbitatis habitu laborat, qualis est Satan. ἡμιπόνηρος vero qui dispositione tantum vitiosa præditus,

eſt, qualis eſt homo peccator. Vocatur autem iſte malus dæmon etiam διάβολος ea de cauſa, quam offert S. Io: Chryſoſt. in 2. Epiſt. ad Corinth, hom. 2. vbi ait: Ἀντικείμενον δὲ αὐτὸν καλεῖ, καὶ διάβολον, ἐπειδὴ καὶ θεὸν πρὸς ἀνθρώπους διαβάλλει, καὶ ἡμᾶς, αὐτοὺς πρὸς ἀλλήλους. κατηγόρει γὰρ τὸν ἰὼβ πρὸς τὸν θεὸν λέγων, μὴ δωρεὰν σέβεται ἰὼβ τὸν κύριον, καὶ πάλιν τὸν θεὸν πρὸς τὸν ἰὼβ, πῦρ κατῆλθεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πρὸς τὸν ἀδὰμ πάλιν τὸν θεὸν ὅτε ἔλεγε διανοιχθήσεται αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ πρὸς πολλοὺς τῶν νῦν ἀνθρώπων λέγων, οὐ προνοεῖ ὁ θεὸς τῶν ὁρωμένων ἀλλὰ δαίμοσιν ἀφῆκε τὰ καθ' ἡμᾶς; hoc eſt, cæterum aduerſarium illum, ac Diabolum appellat, quod & Deum incuſat apud homines, & nos apud Deũ & rurſus nos inuicem inter nos, olim quidem Iob incuſauit apud Deum, cum diceret num gratis Iob colit Dominum. & contra, Deum apud Iob, ignis deſcendit è cælo. Similiter Deum inſimulauit apud Adam cum diceret futurum vt aperirentur illorum oculi, quem admodum; & apud pleroſque horum temporum homines, dicens, viſibilium rerum nullā habet Deus prouidentiam, ſed res hominum permiſit dæmonibus. Vel vt dicit S. Baſiliu[s] in oratione ὅτι οὐκ ἔστιν αἴτιος τῶν κακῶν ὁ θεός. in fine vbi ait; διάβολος δέ, ἐπειδὴ καὶ συνεργὸς τῆς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ κατήγορος γίνεται, χαίρων μὲν ἡμῶν τῇ ἀπωλείᾳ, παραδειγματίζων δὲ ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένο[ις] hoc eſt Diabolus vero dicitur quoniam ide[m]

& in

& in peccato nobis cooperatur, & accusator noster est, gaudet ex interitu nostro, nosque eorum gratia, quæ commissa sunt traducit.

E ὐχαριστοῦμέν σοι βασιλεῦ ἀόρατε.
Gratias agimus tibi Rex inuisibilis.

HIs precationibus petit Pontifex, vt omnes qui vsurpant sacrosanctum corpus filij sui, quouis cælesti munere compleantur. idem faciunt Latini precatione illa, fac Domine, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur. In hac oratione obseruandum illud pronomen αὐτὸς, quod Græci honoris causa propriorum nominum loco sæpe vsurpāt hoc loco habere ἔμφασιν quādam, idest, tu Rex, Deus, & creator omnium existens, & Dominus; sic apud Aristoph. in Comædia, quæ inscribitur Ranes ἴθι νῦν φράσον πρῶτιστα ταῖς αὐλητρίσι ταῖς ἔνδον οὔσαις αὐτὸς ὡς εἰσέρχομαι. Vbi Schol. αὐτὸς idest Dominus. sic apud Latinos Plautus in Casina, vbi Stalino, & ancilla colloquuntur: St. quid tu hic agis. An. ego eo quo me ipsa. ipsa idest hera. Terent. Hecyra sed Pamphilium ipsum video. ipsum, idest, Dominum, vt Donatus ait. Erat & discipulorum vox, cum de præceptore loquerentur. vnde illud αὐτὸς ἔφα, idest ipse dixit. & Aristo-

phanes in Nebulis, στρεψ. φέρε τίς γὰρ οὗτος οὑπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ. Μαθ. αὐτός. στρεψ. τίς αὐτός; Μαθ. σωκράτης. vbi Scholiaſtes honoris cauſa non ſtatim Socratis nomen profert.

Πρόσχωμεν τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις
Attendamus Sancta ſanctis.

HOrtatur Pontifex populum ad ſacroſancta myſteria, admonetque, vt id caute, pieque fiat, his verbis, quæ etiam in Conſtitutionibus Apoſtolicis reperiuntur; πρόσχωμεν τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, ideſt attendamus Sancta ſanctis, perinde ac ſi diceret, ſitis mundi corde, atque ab omni prorſus labe ac macula vacui, nam mundi munda contrectant, perfecta perfecti, ſancta Sancti. Sic ait S.Paulus ad Titũ cap. 1.& ad Romanos cap. 14. & 20. At Chorus, & populus humanæ naturæ infirmitatem atque imbecillitatem conſiderantes reſpondent. Vnus Sanctus, vnus Dominus Ieſus Chriſtus, hoc eſt ſiquis alius eſt sãctus præter Deũ, non virtute id habet, & meritis ſuis ſed ab illo qui eſt fons, & origo ſanctitatis. Ac veluti ſi multa ſpecula opponerentur ſoli, ſplendorem emitterent omnia, multoſque ſoles in ſe continere viderentur, vnus tamen eſſet Sol, qui omnibus ſplendeſceret, ſic Chriſtus Dominus vnus eſt Sanctus, multis tamen eius ſanctitatem impartiri conſpicimus.

Αἰνῶ-

Αἰνεῖται τὸν κύριον ἐκ τῶν οὐρανῶν
Laudate Dominum de cælis,

DVm Pontifex sanctissimum Christi corpus assumit, vt illud etiam alijs porrigat, Chorus canit aliquid è sacris litteris depromptum, præsertim è libro Psalmorum, cuiusmodi sunt illa, Laudate Dominum de cælis; qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. In omnem terram exiuit sonus eorum; vel In memoria æterna erit iustus. vel aliud eiusmodi, quod Latini etiam factitant, audias enim sæpe post communionē, Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam, & magnum decorem impones super eum; vel Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. Vel quod dico vobis in tenebris dicite in lumine. Vel aliquid aliud eiusmodi.

Μέλισον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον
Scinde Domine sanctum panem.

FRangit Pontifex panem, ac particulam quandam deijcit in Calicem, vt faciunt etiam Latini. huius mistionis sanguinis, & corporis Domini, mentionem facit Concilium Tolet. 6. & Concilium Bracharense 3. can. 1. Miscet autem iterum aquam calidam, quam commistionem aquæ in fine sacrificij, nihil a-

liud significare puto, nisi Spiritus sancti ad Ecclesiam descensum, post Domini ascensum ad cælos. Spiritum sanctum autem per aquam sæpe intelligi, docet Athanasius Sinayta Patriarcha Antiochenus, qui habetur in primo tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, & patet ex illo Dauid, Et erit (loquitur de viro iusto) sicut lignũ quod plantatum est secus decursum aquarum. Quo in loco aquas exponũt Spiritum sanctũ propter sua dona, quia abluit sordes, tollit maculas, rudem facit aptum, expolians veterem hominem; quoniam verò apparuit Apostolis in linguis igneis, ideo illa aqua est calida. Balsamon autem in responsis ad interrogationes Domini Marci Patriarchæ Alexandriæ, dicit, mistionem aquæ calidæ fieri ὅτι πιστοῦται τὸ τοῦ θαύματος μέγεθος πῶς καὶ τῇ γεύσει πείθειν ἡμᾶς, μὴ ἐκ νεκροῦ, ἀλλ' ἐκ ζῶντος σώματος τὸ αἷμα, καὶ τὸ ὕδωρ ῥυῆναι, ἐκ νεκροῦ γὰρ ἀτμίζον αἷμα, οὐ πέφυκε καταῤῥεῖν, ἐκ δὲ τοῦ κυριακοῦ σώματος, ὡς ζῶντος, καὶ ζωοποιοῦ, τὰ ζωοποιὰ ἐῤῥύη τὸ αἷμα φημὶ καὶ τὸ ὕδωρ. & infra οὐκ εἰσάγεται δὲ τὸ ζέον κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἑνώσεως, ἵνα μὴ ψυχρὸν αὖθις ἐν τῷ καιρῷ τῆς μεταλήψεως γεγονὸς, εἰς τὸν πρότερον ἐπανέλθῃ λόγον, id est quia confirmatur miraculi magnitudo, cum etiam gustatu nobis persuadeat non è mortuo, sed è viuo corpore sanguinem, & aquam fluxisse, nam è mortuo euaporans sanguis naturaliter non effluit; at ex corpore domini-

minico tanquam viuo, ac viuifico viuifica effluunt, sanguis inquam, & aqua: non infunditur autem calida initio coniunctionis, ne iterum frigida facta sumptionis tempore, ad priorem redeat rationem.

Cuius hominis sententia, vt habeatur vera explicatione indiget. nã si ex vere viuo Christi corpore censet sanguinem, & aquam simul effluxisse, prorsus hæretica est; cum ex Euangelio constet, Christo crura non esse fracta; quod esset iam mortuus, latus autem lancea apertum, continuoque sanguinem, & aquam exiuisse. sin autem vt inferius paulo idẽ planius loquitur tamquam ex viuo, & viuifico; quia videlicet perinde, atque e viuo fluxit; & quod viuificandi, ac vitam præbendi vim habet, verissima est; & non improbãdam reddit rationem cur calida infundatur paulo ante sacram sumptionem.

Κύριε οὐκ εἰμὶ ἄξιος
KDomine non sum dignus,

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ἄνες ἄφες
Domine Deus nơster dimitte, indulge, &c.

ANtequam Pontifex corpus, & sanguinẽ Domini assumat, & has recitat, & alias non paucas precatioues pro arbitrio, quibus suam confitetur infirmitatẽ, simulque petit veniam à Deo, vt possit digne sacram Eucharistiam

riſti am excipere. Latini quoque idem faciunt cum dicunt tres illas orationes, quæ habentur in Canone, Domine non ſum dignus, &c. Sumpta ſanctiſſima Euchariſtia recitat Hymnum Angelorum, Gloria in excelſis Deo, qui recitatur etiam in ſacro Latino, ex inſtitutione Symmachi Papæ in principio ſacri.

Μετὰ φόβου θεοῦ καὶ πίστεως προσέλθετε.
Cum timore Dei, & fide accedite.

COmmonſtrat Pontifex populo Calicem cum ſanguine, & corpore Chriſti Domini, cuius rei mentionem facit Sanctus Dionyſius Areopagita in libro de Cæleſti Hierarch. cap. 3. Sanctus Baſilius in libro de Spiritu ſancto cap. 27. vbi ait: τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλειπεν; ideſt, Verba inuocationis cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculũ benedictionis, quis Sanctorum in ſcriptis nobis reliquit. Sanctus etiam Ioannes Chryſoſtomus Homilia 61. ad populum Antiochenum, Cum vela, inquit, videris retrahi, tunc ſuperne cælum aperiri cogita. Poſtea conuocat populum ad ſacram Synaxim, olim enim cum caritas, & pietas in Deum feruebat, id fiebat quotidie. patet ex Liturgijs omniũ Sanctorum Patrũ, & Apoſtolorum. Item ex libro Actuum Apo-

ſtolorum

stolorum cap. 2. vbi legitur, Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. & paulo post, Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis. Quem locum Beda de sacra Eucharistia interpretatur, vt animaduertit Sotus in 4. Sentent. quæst. 1. art. 10. Vnde de consecratione distinct. 2. can. Peracta, Callistus Pontifex, vel vt ait S. Thom. in 4. Sentent. loco supracitato Anacletus, Peracta, inquit, consecratione omnes communicent, qui noluerint, Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim Apostoli statuerunt, & sãcta Romana obseruat Ecclesia. Sanctus Ioannes Chrysostomus ad Ephesios Homilia 3. εἰκῆ, inquit, θυσία καθημερινὴ, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων, frustra habetur quotidiana oblatio, frustra adstamus, cum nemo sit qui simul participet. idem patet ex can. 8. 9. 10. Apostolorum supra citato, qui canon renouatur in Concilio Antiocheno cap. 2. Et extat etiam Decretum Anacleti in epistola 1. & apud Gratianum can. Peracta, de consecratione dist. 2. Peracta consecratione omnes communicent. Hoc idem patet ex sacro Latino, cũ dicunt, Sacramenta quæ sumpsimus, vbi numero plurali loquitur Sacerdos. Co-

cleari autem vtuntur Græci, quo corpus, & sanguinem in sumentium ora inferunt. Cum autem tepescere cæpit populi Christiani caritas, & feruens illa in Deum pietas deferuescere, Sancti Patres sancius duxerunt non nisi Dominicis diebus populũ ad diuinas Epulas accedere; quem morem indicat S. Augustinus in Epistola ad Ianuarium 108. quæ refertur can. illa autem, dist. 12. vbi ait: Alij quotidie communicant corpori, & sanguini Domini, Alij certis diebus accipiunt: & de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. & refertur de consecr. dist. 2. can. Quotidie.

Eius consuetudinis loco distributio fit panis benedicti in Ecclesia Græca, de quo infra dicemus. Et in Ecclesia Romana fiebat, aiũt enim vt Thomas Vualdensis tom. 2. de Sacramentis cap. 90. refert. Omnes tunc Parocho farinam conferre solitos, ex qua fieret panis consecrandus, qui esset omnibus distribuendus. Deinde cum calor ille pietatis in dies refrigesceret, Fabianus Pontifex Maximus, instituit, vt ter in anno celebraretur communio can. Et si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini. & in Concilio Agathensi; & Eliberitano, vt eadem dist. can. seculares, & can. Omnis homo adijcitur, ne inter Catholicos numeretur, qui

illis

illis tribus diebus non communicauerit. Et Soter Pontifex Maximus adiecit etiam in Cæna Domini, vt ibidem subditur can. In Cæna. Postremo cum perspiceret Ecclesia id pro dignitate non obseruari, statuit vt semel saltem in anno, nimirum in Paschate omnes Christi fideles id facerēt, quod statuit Innocentius Tertius in eod. cap. Omnis vtriusque sexus. quo præcepto omnes sunt alij mores abrogati, neque vim habent.

Porro primis quidem illis nascentis Ecclesiæ temporibus tam Græci, quam Latini sub vtraque specie Christum sumebant, & apparet de Græcis apud Sanctū Dionysium Areopag. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. vbi de sacerdote faciente loquitur, & hunc ritum in his verbis expressit, Velatum enim, & non diuisum panem reuelans, & in multa diuidēs, & vnionem calicis dispertiens. Quæ consuetudo, vt ait Sotus in 4. Sentent. dist. 12. quæst. 1. art. 7. etiam in Sancta Ecclesia Romana nonnullis permansit sæculis, vt est videre apud Sanctum Cyprianum Epist. 2. vbi ait, Martyribus dari sanguinem vt acriores essent ad pugnandum. & in sermone de lapsis subdit historiam de consecrato sanguine, quem puellæ ipse in os infudit; & in historia Sancti Laurentij legitur dixisse Sixto, experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Do-

minici ſanguinis diſpenſationem. Vnde colligitur etiam Diaconum tunc miniſtraſſe ſanguinem populo. & ex lib.9.Hiſt.Trip.cap.30. habemus Sanctum Ambroſium his verbis corripuiſſe Theodoſium; Quomodo, inquit, huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctū Domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis pretioſi percipies? Legimus etiam apud Sanctum Ioannem Chryſoſtomum in Homilia 32. in Matth.ad populum, τὸ αὐτὸ ποτὸν ἅπασι δέδοται· μᾶλλον δὲ οὐ τὸ αὐτὸ ποτὸν, ἀλλ' ἐξ ἑνὸς ποτηρίου πίνειν ἡμᾶς. Idem in Epiſt.3. ὅσοι, inquit, τοῦ σώματος μετέχομεν, ὅσοι τοῦ αἵματος ἀπογευόμεθα, ἐννοεῖτε ὅτι ἐκείνου τοῦ ἄνω καθημένου, τοῦ προσκυνουμένου ὑπὸ ἀγγέλων, τούτου ἀπογευόμεθα. idem legimus in Conſtit. Apoſt. Itaque inter Catholicos ritus hic ſub vtraque ſpecie communicandi inualuit adeo, vt etiam temporibus Sancti Thomæ vt refert Sotus loco citato, non dum eſſet abolitus. Beatus Rhenanus in annotationibus in Tertull. lib. de Corona Militis, vbi de antiquis Benedictinorum, & Chartuſianorum inſtitutis agit, quibus legitur ſanguinem ſolitum miniſtrari populo, ſic vt eum è Calice fiſtula argentea, vel aurea exſorberent.

Quem morem nunc etiam obſeruant Summi Pontifices cum ſollemniter celebrant. legitur etiam apud Aloyſium Lipomanum Coſmianam vxorem Germani, accerſito Diaco-

no precatam, vt sanctus Calix sibi afferretur quo allato, sumpsit sacrum corpus, & pretiosum sanguinem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi,& in Concilio Toletano 3. can. 2. & apud Sanctum Hieronymum in Epistola ad Rusticum, circa finem, quam citat Lipomanus in vita Sanctorum Patrum tom. 2. in vita S. Exuperij. idem legitur, & in vita S. Basilij Magni, vt videre est apud eundem Lipomanum loco citato, vbi legitur quendam Hæbræum explorandi causa cum Christiano populo ad sumendam Eucharistiam accessisse, acceptamque ab ipso hostiam carnem repente factam, & calicem sanguine repletum, vtriusque factum fuisse participem. hoc ipsum quoque habetur in liturgia SS. Io: Chrysost. & Basilij, si quis præcationes quæ in communione recitantur accurate, diligenterque considerauerit. atque adeo in Missa Æthiopum, vbi legitur, Exite foras, qui non vultis recipere sanguinem, siue Eucharistiam, & in sacro etiam Latinorum si quis orationes, quæ post Communionem recitantur inspexerit.

Verum sancta Romana Ecclesia hunc ritum prudentissime aboleuit, quæ cum intelligeret ad huius Sacramenti sumptionem maxima opus esse tum cautione, tum reuerentia, prouidit, cauitque ne quid accideret, quod in iniuriam tanti mysterij vergeret,

ret, quod in sumptione calicis facile posset accidere.

Et sanè crescente populo Christiano, q cũ & senũ debilitas, & iuuenũ imprudẽtia, & paruulorum temeritas cõmiscetur, difficile sit tãtum vbiq; cautionis adhiberi, vt non crebro periculum effusionis immineat, consultissimũ fuit populum à sanguinis poculo arcere: itaque ob has causas à sancta Romana Ecclesia, & in Concilio etiam Constantiense interdictum populo sanguinis sumptione. Fecit etiam ad refellendum errorem eorum, qui vt Vualdensis refert, quem citat Sotus in 4. Sententiarum dist. 12. quæst. 1. art. 12. censebant, non totum Christum sub vtraque specie contineri, sed tantum corpus sub vna, & sanguinem sub altera: At Græci, vt aliorum rituum sic huius tenacissimi nihil immutarunt, non ob vllam sane hæresim cum credant constantissime totum Christi corpus, & sanguinem & separatim sub specie panis, aut sub specie vini, & coniunctim sub vtraque contineri. Itaque sic inuitat μετὰ φόβου θεοῦ, καὶ πίστεως προσέλθετε, id est cum timore Dei, & fide accedite. Et quamuis quoniam in pectoribus fidelium non feruet Charitas, non accedant; tamen fit illa cæremonia, vt loco sacræ Eucharistiæ in fine sacri, panem εὐλογημένον, id est, benedictum accipiant, quem Græci vocant ἀντίδωρ

id est loco munerum, vocant etiam ἀναφορὰν, & εὐλογίαν, vt in Concilio Maticen. cap. 5. apud Burchan. lib. 5. cap. 32. Quæ consuetudo nostris temporibus etiam in quibusdam regionibus Hispaniæ, & Galliæ retinetur, vt post celebrationem distribuatur panis eiusmodi, id quod olim (vt diximus) obseruabatur in Sancta Ecclesia Romana. De hoc pane benedicto fit mentio in Epistola 31. quæ est Paulini ad August. tom. 2. operum Augustini. Et epist. 34. quæ est August. ad Paulinum, & apud eundem August. lib. 2. de peccatorum remissione cap. 2. vbi legimus: Panem sacrare consueuisse Ecclesiam pro Cathecumenis, quia enim ab Eucharistia arcebantur loco eius, panis à Parocho inuocatione Dei, crucis signo & alijs ceremonijs, ac ritibus adhibitis sacratus in omnes Cathecumenos distribuebatur. Postea verò cœpit etiam mos in Ecclesia introduci, vt panis singulis quibusque Dominicis sacratus certa precationis formula sub ministraretur fidelibus. de quo pane Thomas Vualdensis de sacramentalibus tom. 3. tit. 23. cap. 167. & 168.

Εὐχαριστοῦμέν σοι Δέσποτα.
Gratias agimus tibi Domine.

CHristi corpore libato sacerdos ad gratiarum actionem se cum populo totum

confert, qui ordo talis videlicet est, qual
Ecclesiam hanc, quæ omnem ferè pulchrit
dinem accepit ab ordine, plurimum dece
vt sacris dapibus sacerdos, deinde popul
expleatur, ac tandem vtrique tanto hab
digni conuiuio, si non dignas, saltem aliqu
Domino agant gratias, quis autem hic ex
ctet, dum dicat communem hanc nobis e
cum Latina Ecclesia consuetudinem, in q
ordinis ratio adeo est Illustris, vt omnes i
admirationem sui merito conuerterit. Cl
dunt igitur sacrum suum Latini illa gratia
actione, quæ vltimis precationibus conti
tur. Deus qui neminem in te sperantem
mium affligi permittis, sed pium precil
præstas auditum, pro postulationibus nos
votisque susceptis, gratias agimus, te p
sime deprecantes, vt per hæc quæ sumpsim
à cunctis eripi mereamur aduersis. Item c
pus tuum Domine quod sumpsi, & sang
quem potaui, adhæreat &c. Item purific
nos quæsumus Domine sacramenta quæ
simus &c. Merito id facit vtraque Eccles
nam vt dicebat Sanctus Ioannes Chryso
mus in Homilia 25. in Matthæum: φυλακὴ
γεσίας ἀρίστη, ἡ τῆς εὐεργεσίας μνήμη, καὶ ἡ διηνεκὴ
χαριστία, διὰ δὴ τοῦτο, καὶ τὰ φρικώδη μυστήρια
πολλῆς γέμοντα τῆς σωτηρίας τὰ καθ' ἑκάστην τ
μενα σύναξιν, εὐχαριστία καλεῖται, ὅτι πολλῶ

 εὐ

εὐεργετημάτων ἀνάμνησις, καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας ἐνδείκνυται, καὶ διὰ πάντων παρασκευάζει εὐχαριστεῖν· εἰ γὰρ τὸ αἷμα ἐκχεῖν εὐεργεσία, τὸ ἑαυτὸν δοῦναι ἡμῖν εἰς ἑστίασιν καὶ εὐωχίαν πνευματικὴν τί ἂν κληθείη; Custodia beneficij, inquit, optima beneficij memoria, & assidua gratiarũ actio. ob eam causam horẽdi mysteria, & in primis salutaria, quæ quotidie celebrantur, Eucharistia dicuntur, quod multorum sit beneficiorum memoria, & caput diuiuæ prouidentiæ demonstratur, & per omnia præparat ad gratias agendas, si enim sanguinem effundere beneficium est, seipsum nobis præbere in cibum, & conuiuium spirituale, quo nomine appelletur?

Quo loco obiter obseruandum erit S. Io: Chrysost. his verbis elegantissimè exponere quid nomine Eucharistiæ intelligatur, & qua de causa sanctum sacramentum altaris vocetur Eucharistia, est enim veluti quædã gratiarum actio hoc sacrificium de innumerabilibus in nos collatis à Christo Domino beneficijs, & potissimum de eo, quod videlicet nobis seipsum præbet & cibum, & potum, & conuiuium spirituale. Quamuis S. Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 2. πῶς τῷ ποτῷ προσενεκτέον, aliter describat cùm dicit, ἡ δὲ ἀμφοῖν αὖθις κρᾶσις ποτοῦ τε καὶ λόγου, εὐχαριστία λέγεται, χάρις ἐπαινουμένη, καὶ καλή, ἧς οἱ κατὰ πίστιν μεταλα-

παλαβόντες, ἁγιάζονται καὶ σῶμα, καὶ ψυχήν. rursum vtriusque mistio potionis, & verbi, Eucharistia dicitur, gratia laudata, & pulchra: cuius participes fideles Sancti fiunt & corpore, & anima.

Quod ad verbum δέσποτα, ideſt Domine, attinet, quemadmodum hic accipiendum ſit neminem ambigere arbitror. ſed exiſtere aliqua dubitatio poterit, quod veteres interdum hanc vocem vt odioſam vitabant: De Auguſto Tacitus lib. Annalium 2. in extremo. Acerbeque increpuit eos qui ſe Dominum dixerant. Clarius in eius vita, Sueto nius cap. 53. Domini, inquit, appellationem vt maledictum, & opprobriũ ſemper exhoruit, mox eodem capite, in ſequenti die gra uiſſimo corripuit edicto; Dominumque, in quit, appellari ſe ne à liberis quidem, aut ne potibus ſuis, vel ſerio, vel ioco paſſus eſ atque huiuſmodi blandicias etiam inter i ſos prohibuit. Imo Dio. Chryſoſtomus in Oratione prima de Regno, in principio vit dam dixit huius nominis inſolentiam, patr que potius, vel ποιμένα λαῶν, ideſt, paſtore populorum, more Homerici Agamemnon ſe princeps appellet. Verba Dionis ſunt h

πατέρα δὲ τῶν πολιτῶν, καὶ τῶν ἀρχομένων, οὐ λόγῳ καλεῖσθαι μόνον, ἀλλὰ, καὶ τοῖς ἔργοις τοῦτο ἐνδεικνύσθαι. δεσπότην δὲ οὐχ ὅπως τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ μηδὲ τῶν δου

χαίρει

χαίρειν καλούμενον. βασιλεύειν γὰρ οὐχ αὑτοῦ χάριν οἴεται μᾶλλον ἑνὸς ὄντος, ἢ τῶν ἀνθρώπων ἁπάντων. ideſt Patrem autem Ciuium,& ſubiectorum non verbo vocari ſolum, ſed etiam re hoc oſtendere. Domini autem appellatione non modo liberorum, ſed ne ſeruorum quidem gaudere, rerum enim potiri omnium, vtilitatis cunctorum magis, quam ſui cauſa vnus cum ſit, arbitratur. Cuius quidem ratio illa eſt, quam tradit ipſe Dio. & Ariſt. lib. 8. Ethic. cap. 12. vbi ait: τυραννικὴ δὲ ἀρχὴ καὶ ἡ δεσπότου πρὸς δούλους, τὸ γὰρ τοῦ δεσπότου συμφέρον ἐν αὐτῇ πράττεται, ideſt, & Domini in ſeruos imperium tyrannicum, in eo enim negotium Domini agitur, eiuſque vtilitati conſulitur. & lib. 3. Politic. ait nomen, Domini, ad ſeruos, & mancipia referri, οὐ γὰρ ἐνδέχεται φθειρομένου τοῦ δούλου σώζεσθαι τὴν δεσποτείαν, ideſt non enim cōtingit deperdito ſeruo, conſeruari (vt ita dicam) Dominationem. Et ob id cum hoc nomen δεσπότης, ideſt Dominus, acciperetur in malam partē, hinc inoleuit vſus apud Græcos olim, & præſertim apud veteres Atticos, vt in congreſſionibus, ſuperiores dignitate ſalutarētur ab inferioribus hoc nomine τίμιος, id eſt honeſtus, & non δεσπότης. Theophraſtus in opuſculo quod inſcribitur χαρακτῆρες in cap. περὶ ἀναισχυντίας, ait: εὐωχοῦ τίμιε, ideſt vir honeſte epulare. & Euripides in Tragœdia quæ

inscribitur ἱκέτιδες, ait:

προσέσε γὰρ τ̃ δυστυχοῦς,
ὃς εὐτυχήσει, τίμιος γεραίρεται,

.i. ab infelice.n. qui prospera vtitur fortu[...]
honoratur nomine honesti. & in Hecuba, [...]
plerosq; hominũ insolescere aliũ ꝑpter o[...]
aliũm ἐν πολίταις τίμιον κεκλημένον, hoc est in[...]
ciues honest'si salutet. Verũ fuisse olim tẽ[...]
cũ idẽ nomen gratũ, acceptumq; esset, m[...]
Scriptores affirmant. Martial. lib. 1. Epigr.[...]

E seruo scis te genitum blandeque fateri[...]
Cum dicis Dominum Sosibiane patrem.

Fratres quoque non modo patres Domi[...]
vocatos Senecae docet locus Epist. CV. il[...]
mihi in ore erat domini mei Gallionis &c.[...]
te potentiores ita vocari à tenuioribus ve[...]
menter optabant exempla passim occurr[...]
apud Martialem. Itemque coniuges inte[...]
eo nomine videntur vsi Suetonius Claud.[...]
cisa Massalina paulo post quàm in Tricl[...]
decubuit, cur Domina non veniret requis[...]
& Virgil. lib. 4. Aeneidos.

——————conubia nostra
Reppulit ac Dominum Aeneam in regna re[...]

De coniugibus se mutuo Dominas appel[...]
tibus; Ouid. suffragatur qui tempore A[...]
sti scripsit lib. 3. Trist. Eleg. 3. nunciet h[...]

liqu[...]

liquis Dominam venire resurgam. ibidem.

Nec Dominæ lacrymis in nostra cadētibus ora.

& alibi sæpius. Apud Catullum in nuptijs Iuliæ & Manlij. ac Domum Dominam vocat & Virgil. in 6. Æneidos.

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

In quem locum Seruius; aut de Græco tractum est, qui vxorem δέσποιναν dicunt; &c. Epictetus Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Vbi non vxores tantum dominas dici solitas, sed ceteras quoque mulieres apparet. A Græcis vulgo Episcopi appellantur δεσπόται. Denique hoc quoque nomine dici constat filios, atque nepotes Imperatorum Constantinopolitanorum; Vt autem ad id quod initio dixi reuertamur, cur Deus δεσπότης vocet̄ ambigit fere nemo apud SS. Patres sępe δεσπότην legim' vocari κατ' ἐξοχὴν cum sit omnium δεσπότης, vt apud S. Ioannem Damascenum in libello cui titulus παρακλητικὴ ἤχ. πλ. δ. χάριτι πατέρα τῶν γηγενῶν τιθεὶς (scilicet pater) τὸν χριστὸν φύσιν θεὸν καὶ δεσπότην. Et in Epistola Sancti Iudæ Apostoli τὸν μόνον δεσπότην, τὸν κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν μὴ ἀρνούμεθα. Hoc nomine etiam Gantiles, Deos vocabant, vt est apud Euripidem in Tragædia; quæ inscribitur Hippol. Coronatus.

A῎ναξ, θεοὺς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών.
Rex, Deos .n. Dominos uocare oportet.

vbi Commentator, δύναται δὲ τὸ μὲν ἄναξ ἐπὶ τοῦ Ἱππολύτου, τὸ δὲ δεσπότας, ἐπὶ τῶν θεῶν ἀναφέρεσθαι. Ac ne longum faciam in omnibus sacris Libris. Illud vnum præterire non possum, quòd posse hic adscribi mihi indicauit Pater Franciscus Verierius è Societate Iesu, sacerdos, vir non solum reliquis doctrinis instructissimus sed etiam Græcis, Latinisque literis singulariter excultus: cuius familiaritate sẽper gloriabor δεσπότην esse quasi δεσμώτην aut à δέος, & ποιῶ vt vel a vinciendo, vel ab incutiẽdo timore factum sit hoc nomen, cuius vtriusque causam illam esse narrabat, quod ex Aristotelis primo τῶν πολιτικῶν libro: Dominus partim natura quispiam sit, qui prudentia scilicet, ac virtute ceteris antecellit, partim iure, cum quis hostem seruauit, quem potuisse occidere. Aristotelis locus maxime ille hoc indicat, cuius initium διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δουλεύειν καὶ ὁ δοῦλος, ἔστι γάρ τις καὶ κατὰ νόμον δοῦλος καὶ δουλεύων· ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα, τῶν κρατούντων εἶναι φασίν. neque ita multo post agit περὶ τοῦ φύσει δούλου, atque vtroque modo addebat vir ille vocari δεσπότην, tum quia natura κρείττων, ac sine vlla comparatione melior quam homines est, quamobrem

I natura

natura Dominus: tum quia quos interficere sontes videlicet; potuisset, eos seruare maluit, atque ad meliorem quandam vitam, nisi ipsi valde ingrati, atque amentes essent traducere, Quæ illius viri sententia ita me cepit, ac delectauit, vt ex me coniecturam fecerim, alijs quoque non parum eam esse placituram.

Ὀρθοὶ μεταλαβόντες τῶν θείων, ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων ἐπουρανίων καὶ ζωοποιῶν, μυστηρίων, ἀξίως εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ.

Erecti cum sumpserimus diuina, sancta, immaculata, immortalia, cælestia, & viuificantia mysteria, digne gratias agamus Domino.

HOrtatur sacerdos seipse, ac populum, vt magnitudinem beneficij agnoscant, ne in ingrati animi vitium incidant, quo nullum est capitalius, ergo ait ὀρθοὶ, idest erecti non solum animo, sed etiam corpore ad Deũ verum. Inualuit enim hic vsus apud Græcos, vt tantum Pentecostes die genibus flexis diuinam Maiestatem colerent. cæteris verò diebus erecti; ac stantes preces funderẽt Deo. Hoc apud Tertullianum reperi in libro de corona militis, vbi ait Ieiunium nefas ducimus die Dominico, vel de geniculis adorare. Hac consuetudine à die Paschæ, ad Pentecosten

vsque

vſque vtuntur Latini, vt eſt apud S. Hieron
mum in libro aduerſus Luciferianos, & in
bro aduerſus Montanum, & apud S. Augu
num epiſtola cxix. ad Ianuarium. Hanc co
ſuetudinem Græcorum confirmatam conſ
ox Nicæno Concilio can. 20. ſic enim à Pa
bus 118. qui in eo Concilio conuenerunt co
ſtitutum eſſe accepimus. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν
κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν πεντηκοστῆς ἡμέραις,
τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας
τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ θεῷ. H
eſt, quoniam ſunt in Dominico die quidan
ad orationem genua flectentes, & in diel
Pentecoſtes, propterea vtique ſtatutum e
ſancta Synodo, quoniam conſona, & con
niens per omnes Eccleſias cuſtodienda c
ſuetudo eſt, vt ſtantes vota Domino red
mus. Sanctus etiam Baſilius Magnus in c
27. libri de Spiritu ſancto cum ageret περὶ
ἀγράφων νομίμων τῆς ἐκκλησίας ita ſcripſit.

Καὶ ὀρθοὶ μὲν πληροῦμεν τὰς εὐχὰς ἐν τῇ μιᾷ τοῦ σ
βάτου, τὸν δὲ λόγον οὐ πάντες οἴδαμεν, οὐ γὰρ μόνο
συναναστάντες Χριστῷ, καὶ τὰ ἄνω ζητεῖν ὀφείλοντες ἐ
ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς δεδομένης ἡμῖν χάριτος, διὰ
κατὰ τὴν προσευχὴν στάσεως ἑαυτοὺς ὑπομιμνήσκομεν,
ὅτι δοκεῖ πως τοῦ προσδοκωμένου αἰῶνος εἶναι εἰκ
διὸ καὶ ἀρχὴ οὖσα ἡμερῶν, οὐχὶ πρώτη παρὰ Μωυσ
ἀλλὰ μία, ὠνόμασται. ἐγένετο γὰρ ἑσπέρα, καὶ ἐγ
πρωῒ ἡμέρα μία, ὡς τῆς αὐτῆς ἀνακυκλουμένης πολλ

καὶ μί

καὶ μία τοίνυν ἡ αὐτὴ καὶ ὀγδόη, τὴν μίαν καὶ ἀληθινὴν ὀγδόην, ἧς ὁ ψαλμῳδὸς ἔν τισιν ἐπιγραφαῖς τῶν ψαλμῶν ἐπεμνήσθη, δι' ἑαυτῆς ἐμφανίζουσα τὴν μετὰ τὸν χρόνον τοῦτον κατάστασιν τὴν ἄπαυστον μίαν τὴν ἀνέσπερον, τὴν ἀδιάδοχον, τὸν ἄληκτον ἐκεῖνον, καὶ ἀγήρω αἰῶνα. ἀναγκαίως οὖν τὰς ἐν αὐτῇ προσευχὰς ἑστῶτας ἀποπληροῦν τοὺς ἑαυτῆς τροφίμους ἡ ἐκκλησία παιδεύει. ἵνα τῇ συνεχεῖ ὑπομνήσει τῆς ἀτελευτήτου ζωῆς τῶν πρὸς μετάστασιν ἐκείνην ἐφοδίων μὴ ἀμελῶμεν. καὶ πᾶσα δὴ ἡ πεντηκοστὴ τῆς ἐν τῷ αἰῶνι προσδοκωμένης ἀναστάσεως ἐστὶν ὑπόμνημα. ἡ γὰρ μία ἐκείνη, καὶ πρώτη ἡμέρα ἑπτάκις ἑπταπλασιασθεῖσα, τὰς ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς πεντηκοστῆς ἑβδομάδας ἀποτελεῖ. ἐκ πρώτης γὰρ ἀρχομένη εἰς τὴν αὐτὴν καταλήγει διὰ ὁμοίων τῶν ἐν τῷ μέσῳ ἐξελιττομένη πεντηκοντάκις, διὸ καὶ αἰῶνα μιμεῖται τῇ ὁμοιότητι, ὥσπερ ἐν κυκλικῇ κινήσει ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀρχομένη, καὶ εἰς τὰ αὐτὰ λήγουσα, ἐν ᾗ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς προτιμᾶν οἱ θεσμοὶ τῆς ἐκκλησίας ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν ἐκ τῆς ἐναργοῦς ὑπομνήσεως οἱονεὶ μετοικίζοντες ἡμῶν τὸν νοῦν ἀπὸ τῶν παρόντων ἐπὶ τὰ μέλλοντα, καὶ καθ' ἑκάστην τὴν γονυκλισίαν, καὶ διανάστασιν, ἔργῳ δείκνυμεν ὅτι διὰ τῆς ἁμαρτίας εἰς γῆν κατερρύημεν καὶ διὰ τῆς φιλανθρωπίας τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς, εἰς οὐρανὸν ἀνεκλήθημεν, id est Erecti fundimus preces in vna Sabbati, rationem autem non omnes nouimus, non enim solum, vt qui resurreximus cum Ghristo, & qui superna quærere debeamus resurrectionis die de collato in nos beneficio, per hoc quod stamus pre caudo, nos ipsos commonefacimus, sed quod

etiam

etiam venturi sæculi is dies quodãmodo im
go esse videatur, quapropter etiam cum pr
cipium sit dierum, non prima à Moyse, sed
na appellata est, factum est enim, inquit,
spere, & mane dies vna, velut eadem sæpe
uoluatur, vna igitur eadem, & octaua, quæ
nam illam, & verè octauam cuius Psalmog
phus in quibusdam Psalmorũ inscriptionib
meminit per se demonstrat, statum videli
post hoc tempus, diemque illam vespere,
successione carentem, æuum illud & finis
pers; & senectutis; necessario igitur Eccle
erudit alumnos suos, vt stantes preces eff
dant, quo per assiduam admonitionem per
tuæ vitæ, viaticorum ad illam transmigrat
nem parandorum, non negligentes simus,
& totus quadraginta dierum numerus, Pe
coste appellata resurrectionis, quã in illo
culo expectamus monumentum. Vna enim
illa & prima dies septies vt noue dicam se
plicata, septẽm sacræ Pentecostes hebdom
das efficit, à prima enim initium faciens, &
eãdẽ desinens; in qua erectam in precando
guram habere, Ecclesiæ leges, nos erudieru
ex manifesta admonitione mentem nostram
rebus præsentibus veluti transferendo ad
turas, quoties genua flectimus, & exurgim
re ipsa ostendimus propter peccatum in t
ram delapsos, per benignitatem eius qui n
condi-

condidit ad cælum esse reuocatos. Hoc idem docuit Sanctus Epiphanius lib.3. contra Hæreses capite quo compendiariam fidei Catholicæ doctrinam complexus est. Sanctus Augustinus in epistola 119. ad Ianuarium, Latinorũ & Grecorum morem videtur indicare cum dicit: Vt autem stantes in illis diebus (loquitur de Pẽtecoste) & omnibus Dominicis, oremus, vtrum vbique seruetur ignoro. Eusebius etiam lib.5. Historiarum Ecclesiasticarum cap.5. morem hũc genua flectendi in precationibus Italorum ait esse proprium, & peculiarem, vbi de Christianisq; in legionibus Romanis sub Marco Aurel. stipendia merebant, ita scribit, Ἐν τῇ πρὸς τοὺς πολεμίους παρατάξει γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν θεὸν ἱκεσίας τραπῆναι, idest, in procinctu in ipsaq; acie genu flexo in terram vsque, qui nostrarum precationum proprius mos est, ad supplicationẽ Deo esse conuersos. Morem Græcorum ostendit auctor libri responsionum ad orthodoxos cap.cix. his verbis, εἰ τὸ κλίνειν γόνυ ἐν ταῖς προσευχαῖς, τοὺς εὐχομένους μᾶλλον θεῷ τοὺς εὐχομένους παρίστησι, καὶ πλέον ἐφέλκεται τὴν θείαν συμπάθειαν, διατί ἐν ταῖς κυριακαῖς ἡμέραις, καὶ ἀπὸ τοῦ πάσχα ἕως τῆς πεντηκοστῆς γόνυ οὐ κλίνουσιν οἱ εὐχόμενοι, idest, si genu flexo orantes Deum sibi potius conciliãt, magisque propitium reddunt, quam qui stantes precantur, quid causæ est, quod Dominicis diebus,

bus,& per eos dies qui inter Pascha,& Pente-costem interpositi sunt, genua in orationibus minime flectuntur.Quod postea canone edito confirmauit Martinus Papa in Concilio gene rali quod habetur cap.si quis Presb.distin.30. vbi hæc sunt verba.Similiter quia quod ab A-postolis traditum est, Canon tenet antiquus, placuit,vt per omnes Dominicas, & p omnes dies Paschæ vsque ad Pentecostē non prosternāt se in oratione causa humilitatis,sed recto vultu ad Dominum fungantur orationis offi cio,quia in his diebus gaudium resurrectioni Domini celebramus. Quem etiam ritū ex ca none desumptum S.D.N.Clemens VIII.Pō Max. in Breuiarium ipsius authoritate reco gnitum nuper intulit. & in Dominicis diebu religiose obseruari voluit.Idem patet in Co cilio Constantinop.6.can.90.vbi legitur, N Dominicis diebus genua flectamus à diuin nostris patribus canonice accepimus,quar post vespertinum ingressum sacerdotū in sa bato ad altare,vt more obseruatum est, ne genu flectit vsque ad Vesperam post Dom cam, in qua post occasum ad candelabrū r sus genua flectentes, sic preces Domino o rimus si celebramus resurrectionem Dom Nostri Iesu Christi. Idem patet in interro tionibus vndecim Monachorum qui extra uitatem exercebantur,& in responsionibu

eas factis à Constantinopolitana Synodo ad quæstionem secundã, vt videre licet in bibliotheca sanctorum Patrum tomo sexto. Porro non proprium tantum Latinorum hunc moré fuisse genua flectẽdi, vel ex eo perspici potest quod passim in Menologio legimus multos ex illis sanctis Patribus Græcis precari genibus flexis solitos, ipse quoque seruator noster genua flectens in horto supplicauit Patri.

Ἐν εἰρήνῃ προέλθωμεν.
In pace procedamus.

IN fine Græci sacerdotes, vt Latini, iubent eos, qui sacro interfuerũt, abire, Græci hoc modo ἐν εἰρήνῃ προέλθωμεν, vel vt habetur in Constit. Apostolicis, ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ. Latini hoc, Ite Missa est. hic autem mos etiam apud Gentiles erat, vt in sacrificijs dicerent, ilicet, si tamen licet miscere sacra prophanis, nam sapientissimus Plutarchus scribit suo temporeRomanos peractis votis Deum venerari, & in templis sedere, ac permanere consueuisse, re demum diuina, & cæremonijs peractis sacerdos clamabat licere eis discedere. Græcis vero, & Ægyptijs id concinebatur, quod Apuleius ostendit in sua Metamorphosi. dicebant autem λαοῖς ἄφεσις, idest populis dimissio. Sic sacerdos precationem quãdam breuem recitat, in qua ὥσπερ ἐν κεφαλαίῳ mentionem facit eorum pro quibus in to-

in toto sacro precatus est, dicens. ὁ εὐλογῶν τοὺς εὐλογοῦντας σε κύριε, ideſt qui benedicis benedicentes te Domine. Cōſimilis precatio eſt quæ recitatur in Latino ſacro. Placeat tibi Sancta Trinitas obſequium ſeruitutis meæ, & præſta vt hoc ſacrificium quod oculis tuæ maieſtatis indignus obtuli, tibi ſit acceptabile, mihique, & omnibus pro quibus obtuli ſit te miſerante propitiabile. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Demum diſtribuit populo panē de quo ſu pra egimus, qua cęremonia abſoluta benè p catur populo, quē conuerſus cruce ſignat de tera manu, quod faciūt etiam Latini. Qua uis Damaſus Pont. Max. hoc presbyteris n licere dicat, vbi de vana chorepiſcoporum perſtitione agit, vt obſeruauit Micrologus libro de Eccleſiaſticis obſeru. cap. 21. Sed M gnus Leo, & Beatus Gelaſius Pontifices, e ſucceſſores in Eccleſiaſticis officijs apprim eruditi in decretis ſuis, vbi diligētiſſime q presbyteris liceat, quidue non liceat, deſc bunt; nullatenus illis benedictionem, niſi p ſente Epiſcopo, interdicūt. Sanctus quoq; H ronymus in Epiſtola ad Ruſticum Narbo ſem Epiſcopū de Eccleſiaſticis ordinibus bens, presbyteros à benedictione ſuper p lum non prohibēdos eſſe aſſerit, ſi inquit, p byter Chriſtum conſecrat cum in altari

co

sacramenta benedicit, benedicere populum non debet, qui Christum meruit consecrare? & post pauca. hoc in Ecclesijs suis tui presbyteri faciant, quod Romæ, siue quod in Oriente, quod in Africa, quod in Hispania, quod in Britania, quod in Gallia, quod in omnibus locis, vbi humilitas perseuerat. Quod si confirmationem Neophytorum penitus separatã ab officio presbyterorum, S. Gregorius Pontifex quibusdam presbyteris concessisse dicitur, cũ scriberet ad Ianuarium Calaritanum Episcopũ, cur non multo magis presbyteris hoc munus concedatur populum cruce signandi.

Hæc erant quæ de concordia Græci Latinique sacri iam pridem animo præcepta, ac cõprehensa, tandem vtcumque literis mandanda, & cum vtraque Ecclesia communicanda iudicaui, quo labore, si perfectum esse aliquãdo intellexero; vt qui de Græca natione non optime sentiunt hoc libello admoniti cautius in posterum, quicquam de nostrorum hominũ fama detrahendum putent; non exiguum me fructum percepisse arbitrabor. Cæterum qui nostris his lucubrationibus, vel propter rei nouitatem, vel propter aliam quamcumq; causam delectati, nonnullam Auctori operis laudem censebunt esse tribuendam, ijdem existiment Auctorem huiusce operis non tam

Cortesium fuisse, quam rerum omnium auctorem ac conditorem Deum; vt propterea, non mihi, sed illi, & huius, & omnium operum, quæ honeste, ac laudabiliter, vel facta sunt, vel fient, laus, & gloria debeatur.

Laus, & gloria omnium bonorum fonti, & auctori
DEO.



ΤΟΙΣ ΑΝΑΤΟΛΙΚΟΙΣ ΑΠΑΣΙ

θεοφιλεστάτοις Ἐπισκόποις, ὁσιωτάτοις τε μοναχοῖς, καὶ θεοσεβέσιν ἱερεῦσι, καὶ παντὶ τῷ χριστονύμῳ λαῷ.

ΚΟΡΤΗΣΙΟΣ Ο ΒΡΑΝΑΣ

ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Μέγα τῷ ὄντι, καὶ τιμιώτατόν τι χρῆμα, καὶ ἁπάντων ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν τῶν ἀγαθῶν τὴν ὁμόνοιαν πρόξενον εἶναι, οὐκ ἔστιν ὅστις οὐκ ἂν ὁμολογήσειε τῶν εὐφρονούντων. ὑπὲρ δὲ ταύτης τὸ τοῦ παντὸς κόσμου σύστημα ταραχῆς ἁπάσης καὶ ἀνωμαλίας ἀπαλλαγὲν διασώζεται. οὐδὲν δὲ οὔτε τῶν ἐκ φύσεως, οὔτε τῶν ἐκ προαιρέσεως κατορθουμένων ὁρῶμεν ἄνευ τῆς τῶν ὁμοφύλων συμπνοίας τε καὶ συμφωνίας τελούμενον. καὶ αὐτὴν δὲ τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν ὁ κύριος ἡμῶν κατεδέξατο, ἵνα εἰρηνοποιήσῃ εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς; μᾶλλον δὲ εἰς οὐρανοὺς ὁ αὐτὸς ἀνελθὼν τὴν εἰρήνην, καὶ ὁμόνοιαν τοῖς ἀνθρώποις φαίνεται καταλιπών· ὡς ἴσον ὂν ταύτην τε χαρίσασθαι, καὶ πάντων ἀνθρώπων μεταδοῦναι τῶν ἀγαθῶν, ὁπόσα παρών, καὶ ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις δι᾽ ἄφατον φιλανθρωπίαν συναναστρεφόμενος παρέχειν ἠδύνατο. τοῦτο τὸ θεῖον, καὶ οὐράνιον δῶρον ἀποβαλὸν τὸ ἡμέτερον γένος, καὶ τὸ πρὸς Λατίνους μῖσος οἱονεί τι ἀσπούδαστον ἀβούλως ἀσπασάμενοι, καὶ τὸν

σύνδεσμον τῆς εἰρήνης πρὸς τὴν πνευματικὴν ἁρμολογίαν
παγίως μὴ φυλάξαν, οὐδὲν θαυμαστὸν εἰ τοσαῦτα καὶ τοιαῦ-
τα δεινὰ πέπονθεν ὅσα οὐδεὶς λόγος δύναιτ' ἂν ἐναργῶς
παριστάναι. Οὐ γὰρ μόνον ἡ Ἑλλὰς ταύτην σύμπασα τὴν
παλαιὰν ἐκείνην ἀπέβαλε λαμπρότητα, καὶ οὐδὲν ἔχει
σεμνόν, ἀλλ' ἡ τὰ κλεινὰ τῶν χωρίων, καὶ τῶν πόλεων ὀνό-
ματα, ἃ δὴ λείπεται τοῖς πᾶσιν οἱονεί τι γνώρισμα, τοῦ
πάλαι ποτὲ κάλλους, καθάπερ ἱερείου τινὸς διαπεπραγ-
μένου τὸ δέρμα, τοῦ πάλαι ποτὲ ζώου σημεῖον. ἀλλ'
τούτου χεῖρον. καὶ τῶν Ἱερεμίου θρήνων προσδεόμενον,
τινὸς ἄλλου τῶν μακαρίων ἀνδρῶν. τῶν συμφορᾶς μέγ
θος ἐποδύρεσθαι δυναμένων. ἡ ἐκκλησία τὴν ἑαυτῆς ἀπ
πειαν, καὶ ὡραιότητα, ἣν ἔχεν ποτὲ ἐπὶ Βασιλείου τοῦ με-
γάλου Ἰωάννου τε τοῦ Χρυσοστόμου, καὶ Ἀθανασίου τοῦ μεγ
λων ἱεραρχῶν ἀπεκδύσατο, διαμένει τε λύπης καὶ κατ
φείας ἁπάσης ἀνάπλεως. ἐξῆρται γὰρ χαρὰ καὶ εὐφροσύ
καὶ εἰς πένθος μετεστράφησαν ἡμῶν αἱ ἑορταί, οἶκοι προσ
χῶν ἀπεκλείσθησαν, τὰ θυσιαστήρια τῆς πνευματικῆς
σείας ἀργὰ καθορῶνται· οὐκέτι τῶν χριστιανῶν συλλ
διαφαίνονται, ἀπελήλανται διδασκάλων προεδρίαι
λαοὶ παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἀνουθέτητοι διατελοῦσιν, οἱ
μαίνοντες μετ' ἐπιστήμης τὸ τοῦ χριστοῦ ποίμνιον ἐκλε
πασι. Καὶ ὡς ἀληθῶς ἡμῖν πρέπει λέγειν ἐκεῖνο ὅτι
κρύνθημεν παρὰ πάντα τὰ ἔθνη καὶ ἐσμὲν ταπεινοὶ ἐν π
τῇ γῇ. καὶ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἄρχων, καὶ πρ
της, καὶ ἡγούμενος. οὐδὲ ὁλοκαύτωσις οὐδὲ θυσία
προσφορά, οὐδὲ θυμίαμα, οὐδὲ τόπος τοῦ καρπῶσαι
πιον τοῦ θεοῦ καὶ εὑρεῖν ἔλεον. παρεδόθημέν τε εἰς χ
ἐχθρῶν ἀνόμων, ἐχθίστων ἀποστατῶν, καὶ βασιλεῖ ἀδι

ποι

πονηρότατα παρὰ πᾶσαν τὴν γῆν. ἀλλ' εἰ καὶ μεγάλα δοκεῖ τὰ καταισχύνοντα ἡμᾶς δεινὰ, καὶ ὡς ἀληθῶς ἐστὶν, ὅμως βουλομένων ἡμῶν τὰ δέοντα πράττειν περιεσόμεθα πάντων. ἔσται δὲ τοῦτο πῶς; ἢν μικρὸν ἀνανήψαντες καὶ εἰς ἑαυτοὺς γενόμενοι, τὴν πρὸς λατίνους ἔχθραν ὡς φθοροποιὸν καὶ πάσης λύμης πρόξενον ἀποκρουσώμεθα, ἀδελφικῶς τε πρὸς αὐτοὺς ἔχοντες κατὰ τὴν τῶν μελῶν συμφωνίαν, τὴν εἰρήνην ἣν παρὰ τοῦ σωτῆρος ὡς καλὴν παρακαταθήκην παρελάβομεν. διατηρήσωμεν ἀδιάλυτον καὶ ἀδιάβλητον, καὶ τὴν Ρωμαϊκὴν ἐκκλησίαν ὡς θεσμοδότειραν καὶ μητέρα τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιγνῶμεν. εἰς ἣν οἱ πάλαι ἐπὶ πάσῃ ἰδέᾳ ἀρετῶν διαπρέψαντες τῶν ἡμετέρων ἐκκλησιῶν ποιμένες τε καὶ διδάσκαλοι ὡς εἰς ὅρμον καὶ λιμένα σωτήριον ἐνήγοντο. οὐδὲ δὴ αἰτίας ἔξεστιν ἡμῖν πλάττειν κατὰ τῶν λατίνων, καὶ ἐγκλήματα, ἐρυθριῶσι τάχα τὸ δοκεῖν ἄνευ αἰτίας μισεῖν, ὥσπερ γὰρ ἡμῖν τε καὶ αὐτοῖς μία πίστις ἐστίν, καὶ βαπτιζόμεθα πάντες ὡς παρὰ τοῦ κυρίου παρελάβομεν. εἷς δὲ καὶ ὁ αὐτὸς ἁπάντων κύριος, οὕτω δὴ καὶ ἑνὶ στόματι καὶ μιᾷ καρδίᾳ τὸν αὐτὸν δοξάζομεν, ταῖς αὐταῖς δεήσεσι τὴν ἀναίμακτον θυσίαν ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ προσφέροντες ἵνα δ' ἡμῖν ἡ καὶ ἀδιάλλακτον τὸν θεὸν ἀπεργασώμεθα. τουτὶ δὲ τοῖς πᾶσι κατάδηλον ἔσται ἐκ τοῦ παρόντος βιβλίου, ὅπερ ἐγὼ μηδενὸς πόνου φεισάμενος, ἀλλὰ νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν ταῖς τῶν δυτικῶν τε καὶ ἀνατολικῶν ἁγίων πατέρων βίβλοις προσδιατρίψας, οἷα τις μέλιττα τὰ κάλλιστα καὶ χρησιμώτατα πρὸς ταύτην τὴν καλὴν καὶ θεάρεστον ἕνωσιν καὶ συμφωνίαν συλλεξάμενος, εἰς φῶς ἐξέδωκα χρησταῖς ἐποχούμενος ἐλπίσιν, ὡς αὐτό οἷά τις γέφυρα γενήσεται πρὸς τὸν καλὸν σύνδεσμον τῆς τε Ανατολικῆς, καὶ τῆς

δυτικῆς ἐκκλησίας. κἂν τοῦτο ποιήσωμεν, καὶ οὕτω ὁμονοήσωμεν, οὐ μόνον τῶν κακῶν τούτων ἀπαλλαγησόμεθα, τὴν παλαιὰν λαμπρότητα ἀπολαβόντες, καὶ τὰ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας (θεοῦ εὐδοκοῦντος) ὀρθῶς προχωρήσει, τὴν ἑαυτῆς εὐπρέπειαν, καὶ καταστολὴν ἐπενδυσαμένης· ἀλλὰ καὶ ἐντεῦθεν ἐναρξόμεθα ἐπαπολαῦσαι τῆς ἐν ἐπαγγελίαις ἀποκειμένης ἡμῖν ἐν οὐρανοῖς μακαριότητος. ἔρρωσθε.



OMNIBVS ORIENTIS Episcopis, Monachis, Sacerdotibus Christiano populo.


CORTESIVS BRANA *salutem in Christo.*

MAGNAM sane rem, & in primis honestam, omniumq; bonorum causam, vt simpliciter dicam, Concordiam esse, non est qui non confiteatur, ex ijs, qui recte sentiunt. Si quidem per hanc totius Mundi moles ab omni perturbatione, atque inæqualitate libera conseruatur, nec quicquam vel eorum quæ natura, vel eorum quæ electione recte fiunt, videmus sine eiusdem generis cõspiratione, ac concentu confici. atque adeo humanam ipsam naturam Dominus noster assumpsit, vt pacaret siue ea quæ in terris sunt, siue ea quæ in cælo; vel potius in cælum idem rediens, pacem Concordiamque hominibus videtur reliquisse, vt si perinde esset hanc dono dare, atque si omnia simul bona, quæ præsens, & cum hominibus nobis humanissime versans præbere potuisset, elargiretur. Hoc

diuinum, ac cæleste donum cum amiserit nostrum genus, odiumque in Latinos tamquam rem dignissimam temere sit amplexatum, vinculumq; pacis ad spiritualem conexionem fixo animo non conseruarit, nil mirum, si tam grauia pertulerit, vt nullus ea sermo satis perspicue possit ostendere. Neque enim solū tota nunc Græcia splendorem illum antiquum amisit, nec quicquam habet clarum, nisi locorum, atque vrbium Illustria nomina, quasi vestigium ac specimen antiquæ pulchritudinis omnibus relicta, quemadmodum Corium magnæ cuiusdā victimæ signum sacro aliquo peracto. Verum quod peius est, ac dolore dignū maiore, quódq; Ieremiæ threnis indigeat, aut alius cuiuspiam beatorum virorum, qui calamitatis magnitudinem lamentari possent Ecclesiā decore ac pulchritudine sua, quam habuit olim viuentibus magno Basilio, Io: Chrysostomo, & Athanasio magnis Pontificibus, denudata est, iacetque tristitiæ, ac mœroris summi plenissima. Sublatum est enim gaudiū & lætitia, & in luctum conuersi sunt nostri festi dies, precationum domus clausæ; aræ spiritualis latriæ otiosæ spectantur, non apparēt amplius Christianorum cœtus, eiectæ magistrorum sellæ, carent omni tempore hortatore populi, Christi ouile ij qui scienter pascebant dereliquerunt. Vereque nobis dicere illud

lud cõuenit, Imminuti ſumus ſuper omnes gentes, abiectiq; in omnibus terris degimus; neq; eſt hoc tempore princeps, & propheta, & dux, neq; holocauſtum, neq; ſacrificium, neq; oblatio, neq; thymiama, neq, locus vbi diuinam miſericordiam reperire poſſimus, in manus hoſtium, ſ exlegum infeſtiſſimorum Apoſtatarũ traditi ſumus, Regiq; facile totius orbis iniuſtiſſimo, ac peſſimo. Sed quanquam magna videtur mala, quibus præmimur, & verò ſunt; a me ſi officium noſtrum facere velimus omnia nobis erunt expedita. quonam tandem id modo? ſi tantulum reſipiſcendo, noſque colligendo, odium in Latinos vt peſtis, & interitus cauſam deponamus, fraterneq; cum ipſis agendo, vt membrorum poſtulat concordia, pacem quam à Domino vt honeſtum depoſitũ accepimus indiſſolubilem & omni culpa liberam conſeruemus; Romanamq; Eccleſiam vt legũ auctorem, & Eccleſiarum parentem agnoſcamus, ad quam veteres noſtrarum Eccleſiarum omni genere virtutum prẹſtantes paſtores, ac magiſtri tamquam ad ſtationem, aut portum ſalutarem appellebantur. Nec vero cauſas nobis fingere licet & accuſationes in latinos, cũ prope erubeſcamus, quod ſine vlla eos cauſa odiſſe videamur. Vt enim nobis cum illis vna

& vno ore, vnoq; corde ipsum celebramus. iisdemque precationibus incruentum sacrificiũ in diuina re offerendo vtimur, vt ipsum faciamus nostris culpis propitium. Perspicuum id fiet omnibus ex hoc libello; quem ego nulli parcens labori, noctes atq; dies Occidẽtis Orientisq; SS. Patrum libris insudans, quasi apis quædam, pulcherrima quęq; atq; vtilissima ad pulchrum hunc & numini carum nexũ legẽs in lucem edidi, bona spe ductus; ipsum veluti pontem quendam fore, ad vtriusq; & Oriẽtis & Occidentis Ecclesiæ coniunctionem. Id si nos ita fecerimus, atq; ea mente erimus, non his modo malis liberi, veterem splẽdorem recuperabimus, Orientisq; Ecclesia Deo volente suam vestem, ac decorem induẽs recte procedet, verum hinc etiã incipiemus beatitudinem illam, quæ in cælo promissa nobis est, degustare. Valete.





ΩΣ ΑΠΟ ΤΟΥ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΟΣ.

Κ. Β.

Ει πύματον χῶρον τόνδ' ἔλλαχον οὐκ ἔνι θαῦμα,
ὦ ξεῖνε μὴ τάξιν μέμφε ἀποσκοπέων
Καὶ γὰρ ἐγὼ σοφίην μετ' ἀπείρονα τὴν ἐνὶ βίβλῳ
τῇδ' ἔστηκα, βίβλου δευόμενον χαρίτων.
Ποντοπόρος καὶ νηῦς εὔπλοος ὀρθὰ θέουσα
ποντοπλάνον γ' ἕλκει λέμβον ὀπισθόδετον.

IDEM LATINE,

Epigramma loquitur.

VLtima nil mirũ mihi sit φ in ordine sedes;
Ne culpes isto nomine, Lector, opus.
Hic ego tam docti stupefactum lumine libri
Constiti, vt inuersa sic iuuer vsque vice.

INDEX RERVM, QVAE HOC LIBELLO CONTINENTVR.

ERRATA CORRIGE.

In prima Epistola.

Nnnc sane Hunc sane.

parriceps particeps.

perra petra.

immedicabilisimmedicabili

impuluerunt impulerũt.

In secunda Epistola.

couiectura coniectura

Apud Sanctus Dionysius Areopagita.

Apud Sanctum Dionysium Areopagitam. pag. 5.

Hierarchæ Hierarchiæ. 6.

sunt sint. 13.

ψήχη ψυχῇ. 36.

vnus sine gloria Patri.

deest. & alter cum gloria patri. 36.

κάλλιχον κάλλιχον. 41.

constituunt, deest, dicitur, 53.

ἥπητα εἴπητε. 68.

κεφταλὰς κεφαλὰς. 83.

Bellarmenius Bellarminius. 88.

κοινωλίαν κοινωνίαν. 91.

immaculatam immaculatam. 92.

ἐλεημονσυῶαι ἐλεημοσυῶαι. 94.

βοηάθειαν βοήθειαν. 95.

προκεχοιμημένον προκεκοιμημένων. 96.

ἐλπιδι ἐλπίδι. 96.

Ltinis Latinis. 98.

ἐκῆ εἰκῆ. 107.

σκείνου ἐκείνου. 110.

μετὰ μετὰ 112.

dicat dicam. 114.

gantiles, gentiles. 119.

Imprimatur.

Alexander Gratianus Vicarius Gene-ralis Capitularis Neapol.

Imprimi potest opus planè aureum vtriu[s]que linguæ Studiosis perutile, in eo [e]nim nihil est, quod orthodoxæ Fide[i] aut bonis moribus aduersetur.

Rutilius Gallac. Canon. Deput

M. Cherubinus Veron. Augaft. Theol. Cu
Archiep. Neap. vidit. Reg. fol. 27.